MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80596-9

MICROFILMED 1992

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

KERBER, ARTHUR

TITLE:

SIGNIFICATIONES TEMPORUM VERBI...

PLACE:

HALIS SAXONUM

DATE:

[1864]

Master Negative #

Master Negative #
92-80596-9

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

887.5
Z8
v.14

Kerber, Arthur,
Significationes temporum verbi Graeci et Latini in uno conspectu collocantur. Dissertatio...quam ...defendet auctor Arthurus Kerber...Halis Saxonum, formis Ploetzianis, [1864]
49 p. 21½ cm.

Thesis, Halle, 1864.

Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 05.27.92 INITIALS Emil
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT



Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202



Centimeter

Inches







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

8827.28
Th. Kerber
Latin language - Verbs 1886
No. 4

SIGNIFICATIONES TEMPORUM VERBI GRAECI ET LATINI IN UNO CONSPECTU COLLOCANTUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI

CONSOCIATA

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE X. MENSIS NOVEMBRIS A. D. MDCCCLXIV.

HORA XI.

UNA CUM THESIBUS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ARTHURUS KERBER

LUSATUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

PAUL. RICHTER, STUD. THEOL. ET PHILOL.
CAROL. RICHTER, STUD. THEOL. ET PHILOL.

HALIS SAXONUM.
FORMIS PLOETZIANIS.

§. 1. Quod Heraclitus omnium rerum naturae proprium esse voluerit, id etiam in linguam cadere nemo profecto negabit. Atque ita valde nobis suspicandum est temporum quoque usum, de quo disserere nunc nobis est propositum, vehementer fluctuasse, id est alias fuisse antiquissimas, alias posteriores illorum significationes neque Homerico quidem sermone usum eorum antiquissimum, qui proxime ab eorum ortu abfuerit, integrum esse servatum*). Neque igitur iis, qui ad grammaticae quoque studium principia philosophiae transferenda esse mecum existiment, errare videbor, quod, ut intima temporum natura penitus cognoscatur, ante omnia nobis de notionibus eorum antiquissimis ideoque revera principalibus quaerendum esse, tum ad notiones posteriores maxime inquinatas ex illis descendentibus, quo modo usus posterior cum usu antiquissimo cohaereat, demonstrandum esse existimo. Id enim summo jure philosophi contendere videntur nullam plane rem penitus posse cognosci, nisi ex seminibus, unde ipsa nata sit, eam quasi enucleemus. Conf. Trendlenburg Logische Untersuchungen II. pag. 319: *Eine Saehe wird nur auf dem Wege verstanden, auf welchen sie selbst entsteht.* Quodsi conceditur id potissimum cuique de temporibus doctrinae subtiliori esse propositum, ut eorum notiones revera principales naturamque intimam investiget: necesse erit prae ceteris ad illorum primordia et quasi fontes adscendentes de usu quaeramus antiquissimo, tum denique posteriores eorum significationes ex illo, tamquam e fonte, derivemus.

---

*) Notiones temporum antiquissimas ubique eas nominabo, quae ante Homeri aetatem temporibus propriae erant.

§. 2. Attamen in hoc non subsistendum, sed altius repetendum videtur. Neque enim usus antiquissimus fons extremus habendus est, unde usus posterioris varietas manaverit, sed ex altiore quodam fonte usus et antiquissimus et posterior fluxisse videntur: notionem quandam dico omnibus temporibus communem, vel causam extremam, qua ad tempora fingenda lingua impulsa sit, quam philosophis auctoribus *temporum ἰδέαν speciemque principalem* nominare placet. Ex hac igitur idea, quum totius usus varietatem derivaverimus temporumque notiones et antiquissimas et posteriores ejusdem hujus ideae, totius de temporibus doctrinae tanquam dominatricis, simulacra esse demonstraverimus atque ita in uno conspectu totam illam varietatem collocaverimus: tum denique profiteri nobis licebit ad summum nos adscendisse doctrinae nostrae fastigium. Itaque in has tres partes commentatio mea dividenda videtur, ut primum de significatione omnibus temporibus communi, deinde de usu eorum antiquissimo, denique de usu posteriori disseramus, qui solus ad nostram aetatem permansit*).

PARS PRIMA.
DE TEMPORUM IDEA SPECIEQUE PRINCIPALI.

§. 3. Non difficile est cognoscere summam hanc ideam, ex qua tota temporum varietas et nata et nobis derivanda sit, notionemque cmnibus temporibus communem hanc esse, ut diversae actus vel affectus ad tempus relationes iis significentur. Neque igitur aliud quidquam ullo tempore significari potest. Res satis videtur perspicua, nec tamen ab omnibus grammaticis perspecta est, qui nonnullis temporibus ejusmodi imposuerint notiones, quae, cum actus vel affectus ad tempus relationem non prorsus definiant, ipsi temporum ideae plane sint contrariae. Velut Zumpt Lat. Gramm. § 511 futurum III significationem accipere posse existimat futuri I adjecta notione celeris peractionis. Quamquam aliquid recti in hac ejus sententia inesse videatur. Plerumque enim ita de

*) Platonem quoque, ut in quaque quaestione subtiliori ex idea proficiscereris, praescripsisse notum est. Conf. ej. Phaedr. 237. Phaed. 99.

actione vel affectioue futura loquimur, ut certo quodam tempore futuro eam praesentem fore dicamus: quare si hoc tempus quasi transilientes in id statim tempus nos insinuamus, quo haec actio futura jam praeterita erit, itaque futurum III pro futuro I usurpamus; cursus orationis celerior fit. Sed quod Zumpt ejusmodi futuris III celerem actus vel affectus quasi cursum significari censet, cum futuri exacti significationi tum communi temporum ideae prorsus contrarium est.

§. 4. Quodsi universe temporibus actus vel affectus relationes diversae exprimuntur: ut ad significationes singulorum temporum perveniamus, quorum alia alias relationum illarum exprimere debebunt, prae ceteris necesse erit ideae temporum universitatem quasi dividentes singulas nos actus vel affectus ad tempus relationes proponere, deinde has inter diversa tempora dispertire. Haec enim via est deductionis ad singularitatem ex universitate descendentis, omni philosophiae omnique doctrinae solidiori ineunda.

§. 5. Primum igitur diversas actus vel affectus ad tempus relationes investigemus. Ex duobus momentis cujusque actus vel affectus ad tempus relationem pendere facile videre licet. Ut quum Cicero dixit *Pyrrhi temporibus jam Apollo versus facere desierat* (de divin. II, 56, 116), desinendi actus ante Pyrrhi aetatem, de qua Cicero loquitur, et haec ipsa ante praesens temporis punctum, quo illa scripsit Cicero, jacens cogitatur; aut in hoc versu Homerico *Ἔσσεται ἦμαρ, ὅτ' ἄν ποτ' ὀλώλῃ Ἴλιος ἱρή* (Il. VI, 448) *τὸ ὄλλυσθαι* ante diem, quem futurum esse Hector praenuntiat, et hic ipse dies post praesentiam jacet; aut in hoc exemplo Liviano *(Hannibal anno u. c. 534) in Etruriam ducit eam quoque gentem aut vi aut voluntate adjuncturus"* (XXI, 58) actus *ducendi* in id tempus, de quo sermo est, idque ipsum ante praesentiam cadens, actio denique *adjungendi* post idem illud temporis intervallum jacens cogitatur; aut quum Homerus de Telemacho Minervam sic loquentem fecit *Πέμψω δ' ἐς Σπάρτην τε καὶ ἐς Πύλον ἠμαθόεντα Νόστον πευσόμενον πατρὸς φίλου, ἤν που ἀκούσῃ* (Od. I, 93 sq.) *τὸ πυνθάνεσθαι* post id temporis momentum, in quo

Minerva mente versatur, h. e. quo Telemachum se ad cursum per mare faciendum incitaturam esse profitetur, et hoc ipsum post praesens temporis momentum, quo illa loquitur, jacens cogitatur. Universe igitur videmus cujusque actus vel affectus ad tempus relationem eo definiri temporis momento, de quo in singulis enunciationibus sermo sit, idque ipsum rursus sua ad praesentiam relatione definiri: in quo id per se intelligitur hoc tempus, de quo sermo sit, etiam in ipsam praesentiam incidere posse. Haec sunt duo illa momenta (universe, ut videmus, optime distinguenda), ex quibus cujusque actus vel affectus ad tempus relationem judicandam esse diximus. Atque de eorum natura accuratius nobis quaerendum est, priusquam ad id, quod nobis propositum est, propius accedamus.

I. De notione atque vi praesentiae.

§. 6. Omnis enunciatio (sive regens, sive recta) ex sententia certae cujusdam dicitur personae, quam universe ad explicationem simpliciorem reddendam littera *P* insigniam. Velut enunciationes primariae, quibus praedicatur aliquid, ex sententia personae loquentis, quodcontra eae, quibus interrogatur, enunciationes primariae ex ejus dicuntur sententia, quam illa alloquitur*); enunciationes denique ex aliis pendentes ex sententia ejus dicuntur personae, quae vel loquens vel opinans vel aliquid ponens vel optans a persona loquenti introducitur. Exemplum propono hocce: *Ἀλλ᾽ οὐχ Ἑρμείαν ἐριούνιον ὕπνος ἔμαρπτεν Ὀρμαίνονθ᾽ ἀνὰ θυμὸν, ὅπως Πρίαμον βασιλῆα Νηῶν ἐκ πέμψειε λαθὼν ἱεροὺς πυλαωρούς* (Hom. Il. XXIV. 697 sqq.). In cujus comprehensionis parte prima personam *P* Homerum esse, quodcontra in altera eam esse Mercurium lucrificum nemo negabit, quoniam Homerus illam refert, hanc a Mercurio optatam introducit. — Haec persona *P*, cujus e sententia dicitur aliquid, in certo quodam versatur temporis momento et ego quidem contendo hoc ipsum temporis momentum, quod

*) Quum *Deus est propitius* idem valeat, quod *ego censeo Deum esse propitium*: si dicimus *nonne Deus bonus est?* hoc dicimus *nonne tu Deum bonum esse existimas?*

personae P praesentiam nominare licet, universe praesentiam esse habendam, ex qua tempus actionum e sententia personae *P* dictarum judicandum sit. Neque tamen grammatici mecum consentire videntur: nullam aliam cognoverunt quam praesentiam personae loquentis, quae quidem termino technico *praesentia absoluta* ab iis nominatur — quo jure, in medio relinquam, tantum moneo etiam hanc praesentiam absolutam notionem esse relativam, quoniam, ut hoc utar exemplo, si Platonis opera legimus, saeculum quartum, si carmina Homerica, saeculum decimum praesentia absoluta habenda est. Sed demonstrari necesse erit, non hanc esse praesentiae vim, ut id sit momentum, in quo persona loquens versetur (praesentia pers. loqu.), sed universe praesentiam hoc esse temporis momentum, in quo persona *P* insit, cujus e sententia aliquid dicatur (praesentiam personae *P*).

§. 7. Duo haec, de quibus quaeritur, momenta (praesentia personae loquentis a grammaticis praesentia nominata et praesentia personae *P* mihi quidem praesentia esse visa) in enunciationibus primariis in unum momentum incidunt, quum in iis praesentia personae *P* a praesentia personae loquentis non diversa sit (id quod efficitur ex §. 6 in.). Quodcontra in altero sententiarum genere duo illa momenta universe optime distinguenda sunt: non enim semper praesentiam personae *P*, cujus e sententia dicatur, i. e. quae loquens vel opinans vel optans a persona loquenti introducatur, in praesentiam personae loquentis ipsius incidere per se intelligitur, conf. exemplum §. 6 allatum. Itaque facile fieri potest, ut in enunciatione ex alia pendenti praesentia personae *P* ante absolutam cadat praesentiam et hujus enunciationis actio inter duo haec momenta i. e. post praesentiam personae *P* et ante absolutam cadat praesentiam. Hujusmodi exemplum illud est Homericum: *Ὣς ἄρ᾽ ὅγ᾽ ἔνθα καὶ ἔνθα ἑλίσσετο μερμηρίζων, Ὅππως δὴ μνηστῆρσιν ἀναιδέσι χεῖρας ἐφήσει* (Od. XX, 28 sq.), ubi *το ἐφιέναι* post id, in quo Ulixes (personae *P*) versatur, temporis momentum et ante praesentiam absolutam, qua Homerus illa cecinit, jacens cogitandum est. Jam vides, quorsus spectet explicatio mea. In hujusmodi enim enunciationibus, qua-

rum actio post praesentiam personae *P* et ante praesentiam personae loquentis jaceat, quod indicativus futuri saepissime, sed nunquam temporis historici indicativus usurpatur: actio futura, neque praeterita cogitari videtur. Ergo praesentia ante hanc actionem jacens cogitatur i. e. praesentia personae *P* esse debet. Habes id, quod demonstrare voluimus: ex certi cujusdam generis enunciationibus effecimus non ex eo momento, in quo persona loquens versetur, sed ex eo, in quo persona *P* insit, temporis momento actionis vel affectionis tempus judicari, i. e. non praesentiam absolutam universe esse praesentiam, sed praesentiam personae *P*. Etiamsi id saepissime fit, ut haec in illam incidat, quodquidem semper fieri in sententiis primariis jam supra dictum est. — Atenim grammatici, qui nullam aliam cognoverunt quam praesentiam absolutam, in illo exemplo personam loquentem vi illa animi humani, quae *φαντασία* dicitur apud Graecos, tanquam arte magica, in praesentiam personae *P* se transtulisse existimant et futurum *ἐφήσει* non ea de causa usurpatum esse volunt, quod illud momentum, in quo Ulixes versetur, praesentia sit, sed quia persona loquens i. e. Homerus hoc modo in tempus praeteritum translatus *τὸ ἐφιέναι* ut futurum intueatur (conf. Thiersch Griech. Gramm. §. 342. 9. b.). At in hac sententia per se meo quidem judicio falsissima longiusque repetita (conf. infr. §. 38) id potissimum mirandum videtur, quod nunquam Graecis in mentem venerit non in tempus praeteritum redire, sed in praesentia absoluta manere atque itae jusmodi actiones indicativo aoristi vel imperfecti significare.

§. 8. Tempus igitur actionum vel affectionum e verbis declarandi vel sentiendi vel optandi pententium ex eo momento judicandum est, in quo persona declarans, sentiens, optans versatur, non ex absoluta praesentia. Atque hoc modo id quoque fit saepissime, ut in una eademque sententia actio vel affectio alia ad aliam praesentiam pertineat. Ut quum Euripides cecinit *Ταῦτ' ἐννοηθεῖσ' ἠσθόμην ἀβουλίαν Πολλὴν ἔχουσα καὶ μάτην θυμουμένη* (Med. 878 sq. ed. Pors.), actio *τοῦ αἰσθέσθαι*, ad praesentiam personae loquentis referenda eoque

praeterita cogitanda est; quodcontra *τὸ ἔχειν* et *τὸ θυμοῦσθαι*" ad praesentiam personae sentientis, ex cujus sententia dicantur, pertinent; neque igitur praeterita, sed praesentia, accipienda sunt. Conf. *Quem tu, Melpomene semel Nascentem placido numine videris* (Hor. Od. IV, 3 in.), ubi affectus nascendi praesens cogitatur. *Magnum illa terrorem intulerat Jovi Fidens juventus horrida brachiis, Fratresque tendentes opaco Pelion imposuisse Olympo* i. e. *statum Pelii Olympo impositi efficere tendentes* (ibid. III, 4, 49 sqq.), ubi status ille futurus accipiendus est.

II. De ejus temporis natura, de quo in enunciatione aliqua sermo est.

§. 9. Hoc tempus, in quo ea, ex cujus sententia dicitur, persona quasi mente atque cogitatione versatur, aut adverbiis vel enunciationibus temporalibus determinatnm est aut ex sententiarum comprehensione intelligitur; aut temporis punctum aut longius ejus intervallum; aut definita (*ὡρισμένη*) aut indefinita (*ἀόριστος*) pars temporis esse potest. Neque tamen id hoc loco accuratius perlustrandum videtur: de alia, quae in hujus temporis qualitate inest, differentia paulo subtilius exponamus.

Contendo enim in quaque enunciatione non modo de uno momento, sed etiam de momentorum serie sive interrupta sive perpetuo sermonem esse posse. Ac primum in ejusmodi enunciationibus, quibus consuetudo vel mos affertur (*ἡ στάσις τὰς πόλεις διαφθείρει, Aegyptii cadavera mortuorum condiunt, Cato dicebat Carthaginem esse delendam*), quoniam actio *τοῦ διαφθείρειν* actionesque *condiendi* et *dicendi* intervallis interruptae saepius fiant, non de uno temporis momento, sed de serie momentorum interrupta sermonem esse nemo infitias iverit. Quae series adverbiis temporalibus, ut *πολλάκις*, *saepe*, *καθ' ἕκαστον ἐνιαυτόν*, *quinto quoque anno* similibusque etiam expressa esse potest.

§. 10. Deinde, quod de perpetua quoque serie momentorum sermonem esse posse dixi, eas respexi sententias universas, quibus qualitas sempiterna, conditio perennis describere-

tur. In hac enim re vehementissime a grammaticis dissentio, qui ejusmodi in sententiis universis praesentiam (absolutam) i. e. unum momentum spectari velint. Nam *Deus mundum semper regit* et *Deus mundum nunc regit* mea quidem sententia longe inter se diversa sunt. Ultimo enim exemplo hoc dicitur praesenti temporis momento stabili certoque Deum regnare, idque prorsus negligitur, num jam ante hos sexcentos annos regnaverit aut post hos sexcentos annos etiamtunc regnaturus sit; quodcontra primo exemplo universe Deum regnare eumque non minus ante hos 600 annos regnavisse et post hos 600 annos regnaturum esse, quam nunc praesenti temporis momento regnare dicitur. Quare *Deus mundum semper regit* sensum habet multo latiorem, quam *Deus mundum nunc regit,* et illic revera, ut contendimus, tantum abest, ut de uno temporis momento sermo sit, ut de tota omnium momentorum et praeteritorum et futurorum serie dicatur, quae adverbio illo (*semper*) expressa quoque est*).

Quare qui concesserit eas sententias universas, quibus desit hoc adverbium, sensum universum nihilosecius servare, concesserit quamque hujusmodi sententiam omnibus temporibus probatam non de praesentia dici, sed de infinita et perpetua momentorum serie.

III. Singulae actus vel affectus ad tempus relationes proponuntur.

§. 11. Sed redeamus ad id, quod quaerimus. Atque jam dictum est (§. 5) eam, quam actus vel affectus ad tempus haberet, relationem ex eo judicari tempore, de quo sermo esset, idque tempus ipsum sua ad praesentiam relatione definiri. Hoc autem tempus d.q.s.e., quoniam in singulis enunciationibus aut de uno temporis momento aut, de momentorum serie sermo esse possit, facile has sex ad praesentiam habere relationes cognoscitur: aut enim

*) Si *Deus mundum semper regit* de praesentia, ut illi contendunt (in iisque Krüger), diceretur: liceret nobis hoc tempus adverbio apto, quod est *nunc*, exprimentibus dicere *Deus mundum nunc semper regit,* quod inauditum est.

1. momentum est praesens, aut
2. series momentorum praesens*), aut
3. momentum praeteritum, aut
4. series momentorum praeterita, aut
5. momentum futurum, aut
6. series momentorum futura.

Quare actus vel affectus ipse, quum aut in hoc tempus incidere aut ante hoc tempus aut post hoc tempus cadere poterit, 18 habebit ad tempus relationes diversas.

§. 12. Actus enim vel affectus, si in id d.q.s.e. tempus incidit, incidere potest aut

1. in mom. praesens, aut
2. in momenta partim praeterita partim futura; aut
3. in mom. praeteritum, aut
4. in momenta praeterita; aut
5. in mom. futurum, aut
6. in momenta futura;

sin vero ante id d.q.s.e. tempus jacet, jacere potest aut

7. ante mom. praesens, aut
8. ante momenta partim praeterita partim futura; aut
9. ante mom. praeteritum, aut
10. ante momenta praeterita; aut
11. ante mom. futurum, aut
12. ante momenta futura;

denique si post id d.q.s.e. tempus cadit, cadere potest aut

13. post mom. praesens, aut
14. post momenta partim praeterita partim futura; aut
15. post mom. praeteritum, aut
16. post momenta praeterita; aut
17. post mom. futurum, aut
18. post momenta futura.

§. 13. Sed ex 18 harum relationum numero quattuor eximendae videntur (3.,4.,5.,6,), quippe quae in relationibus septima et tertia decima jam contineantur. Facile enim videmus,

*) Ita enim concinnitatis causa series momentorum ex parte in praesentiam incidens, h. e. partim praeterita partim futura significatur.

utrum actio vel affectio in praeteritum (futurum) temporis spatium incidens an ante (post) praesentiam jacens cogitetur, utrum praeterito (futuro) temporis spatio actionem vel affectionem fieri, an nunc praeteritam (futuram) esse dicatur, non ita diversum et, rem ipsam si respiciamus, plane idem esse. Itaque 14 sunt actus vel affectus ad tempus relationes revera diversae, quas tamen paullo simplicus reddere placet ita, ut actionem in momentum aliquod incidentem hoc momento fientem dicamus, actionem ante momentum aliquod jacentem hoc momento praeteritam, actionem post momentum aliquod cadentem hoc momento futuram. Actio igitur vel affectio cogitari potest aut

1. momento praesenti d. q. s. e.
2. momentis part. praett. part. futt. d. q. s. e. } fiens, aut
3. momento praesenti d. q. s. e.
4. momentis part. praett. part. futt. d. q. s. e. } praeterita, aut
5. momento praeterito d. q. s. e
6. momentis praeteritis d. q. s. e, } praeterita, aut
7. momento futuro d. q. s. e.
8. momentis futuris d. q. s. e. } praeterita, aut
9. momento praesenti d. q. s. e.
10. momentis part. praett. part. futt. d. q. s. e. } futura, aut
11. momento praeterita d. q. s. e.
12. momentis praeteritis d. q. s. e. } futura, aut
13. momento futuro d. q. s. e.
14. momentis futuris d. q. s. e. } futura.

PARS SECUNDA.

DE NOTIONIBUS TEMPORUM ANTIQUISSIMIS.

§. 14. Omnes, quae cogitari possunt, actus vel affectus ad tempus relationes lingua quoque exprimi debuerunt, vel, quod idem valet, quamque 14 relationum illarum uno ex temporibus exprimi necesse fuit. Quare si eas inter singula tempora dispertiemus: summa et comprehensio relationum earum, quas hoc modo cuique tempori attribuemus, hujus signi-

ficatio erit principalis. Facillime igitur notiones temporum antiquissimas inveniemus ita, ut quaeramus, quomodo antiquitus diversae actus vel affectus ad tempus relationes inter singula tempora dispertitae fuerint. Sed quaestio est, quomodo haec distributio instituenda sit. Nam de usu temporum antiquissimo, ut perpauca ejus vestigia carminibus Homericis servata omittamus, nihil aliud, quam ipsa temporum forma, neque haec quidem integra, relicta est. Quae cum ita sint, nulla alia via patere videtur, quam ex forma temporum notiones eorum antiquissimas efficere i. e., quomodo relationes illae inter tempora dispertitae fuerint, demonstrare. Neque haec via repudianda est. Nemo enim, qui formationem temporum cum conscientia factam esse concedat, formam et significationem eorum arctissime inter se conjunctas esse, nec, quamdiu conscientia temporum fictionis Graecis et Latinis manserit, illas inter se repugnare potuisse negabit. Itaque placet primum principia nonnulla proponere, quibus significatio temporis ex ejus forma judicanda sit, deinde ipsas singulorum temporum notiones antiquissimas ex eorum forma efficere.

§. 15. Prius tamen hoc statim loco moneam haecce: quodque tempus certam quandam notam habet sui propriam (aut hanc habet notam, ut notam habeat sui propriam nullam), qua a reliquis temporibus discernitur. Atque his notis discrimina temporum abstracta exprimuntur, quodcontra singulorum temporum radicibus (λειπ, λιπ, ἐλειπ, ἐλιπ, λειψ, λελοιπ, λειφθε, ἐλειφθε, λειφθησ) eadem discrimina, sed ad certas actiones vel affectiones quasi alligata cum iisque concreta, et plenis verbi formis praeter haec temporis discrimina simul discrimina generum et modorum et personarum et numerorum continentur. Quare ubicunque de temporum discriminibus sermo sit, vel notas iis proprias vel radices eorum intelligi volo, quibus mera temporum discrimina exprimantur (radices praesentis, aoristi non augmentati, perfecti; radices imperfecti, aoristi augmentati, plusquamperfecti; radices futuri simplicis et futuri exacti).

I. Quomodo significatio temporis ex ejus forma judicanda sit.

§. 16. Qui accuratius harum radicum formas intueatur, eum effugere non potest et Graecos et Latinos a duabus radicibus primitivis, radice simplici et reduplicata, caeteras omnes derivasse (radicem praesentis et aoristi non augmentati excipio, quae nihil aliud sunt, quam formae radicis simplicis periphrasticae) et perfecti rursus radicem a radice simplici derivavisse, ita ut hac tabula temporum inter se cognationem summatim proponere liceat:

radix simplex
(rad. praesentis)
(rad. aoristi non augment.)

radd. imperf., aoristi augm., futuri, perfecti

radd. plsqperfecti et futuri III.

Nemo igitur negabit certo quodam vinculo radicum primitivarum et derivatarum notiones inter se conjunctas esse debere. Atque mihi quidem persuasissimum est hanc inter eas intercedere cognationem, ut radicibus primitivis notio insit omnium radicum derivatarum significationes complectens. Non enim difficile est ad cognoscendum eandem rationem inter radicem primitivam (*λειπ*) et radicem aliquam ex hac derivatam (*ἐλειπ*) intercedere, quam inter speciem et certum quoddam ejus simulacrum. Sicut enim hujus natura haec est, ut praeter speciei proprietates omnibus simulacris communes proprietates quasdam contineat sui peculiares: eodem modo radix derivata (*ἐ-λειπ*) ita formata est, ut ad radicem primitivam omnibus radicibus derivatis propriam nota quaedam accedat, qua a reliquis discernatur (*ἐ-*). Unde efficitur, sicut speciei natura haec sit, ut omnium simulacrorum proprietates in ea, velut germine, contineantur: sic radici primitivae vim inesse universam, omnium radicum derivatarum notiones complectentem. Quodquidem alio quoque modo demonstrare licet. Etenim cum radix derivata (*ἐλειπ*) radicem primitivam contineat, notio quoque hujus in illius notione inesse debet: omnes igitur radices derivatae ejusmodi habebunt

significationes, quae ex notione radicis primitivae tanquam concretae sint: quod cogitari non potest nisi ita, ut radices derivatae radicis primitivae notionem generalem accedentibus notis specialibus accuratius definitam itaque finibus angustioribus circumscriptam i. e. notiones habeant illi subjectas. Philosophis res satis probata videbitur: philologi ii, qui non nisi exemplis et auctoritate moventur, his exemplis convincentur, quibus idem illud comprobatur in forma aliqua primitiva notionem inesse latiorem formarumque derivatarum notiones comprehendentem. Velut notum est modum verbi activum saepissime significationem habere reflexivam aut passivam: cujus rei nulla alia causa est, quam quod medium et passivum ab activo derivata sunt. Deinde radicem nominum saepissime pro nominativo aut accusativo usurpari videmus (conf. *γένος, σαφές, νέκταρ, ἄστυ, cadaver, fulgur, caput,*) eidemque in verbis compositis permultis sensus genitivi singularis (conf. *ποντομέδων*) et vero etiam genitivi pluralis (conf. *ναύαρχος*) subjectus esse videatur, unde facile perspicuum fit radici substantivorum simplici notionem omnium casuum ex ea derivatorum inesse *κατὰ δύναμιν*. Ceterum ex ipso praesentis et perfecti usu posteriori illam meam sententiam rectissimam esse apparebit.

§. 17. Ea, quae sequebantur, typis exprimere non placuit: paucis, quae iis demonstrare studuerim, exponendum videtur. Primum igitur diximus additamenta radicum verbalium *(i, a, e, an, n, ain, in, ne, na, t, s* in verbis *sep-i-o, am-a-o, doc-e-o, ἁμαρτ-άν-ω, δάκ-ν-ω, ὀσφρ-αίν-ομαι, βα-ίν-ω, βυ-νέ-ω, δάμ-νη-μι, δαμ-νά-ναι, flec-t-o, φράζω* aliisque permultis apparentia*)* nullam novam radicibus puris significationem adjicere, sed, usum si spectaremus, prorsus inania esse adque supervacanea, deinde hujus rei causam in eo inesse demonstravimus, quod omnia illa additamenta verba essent auxiliaria atque periphrastica. Deinde radices praesentis et futuri et aoristi non augmentati nihil esse nisi formas radicum simplicium periphrasticas demonstravimus, denique latini quoque imperfecti et perfecti proprietatem in augmento et reduplicatione inesse. Haec autem fere omnia mei sunt peculiaria.

II. De significatione praesentis et aoristi non augmentati antiquissima.

§. 18. Radices praesentis et aoristi (activi et medii et passivi) non augmentati nihil alind sunt, quam formae radicum simplicium, quippe quae ab his aut signis plane nullis differant aut additamentis illis non necessariis nullamque radicibus verbalibns novam significationem adjicientibus. Neque igitur radices nostrae antiquitus, cum fingerentur, notionem a radice verbali diversam habere poterant, siquidem conceditur, quamdiu conscientia temporum formationis Graecis et Latinis maneret, formam et significationem illorum inter se diversas fuisse non posse. Itaque, cum radicem verbi simplicem omnium temporum notiones, vel, quod idem valet, omnes actus vel affectus ad tempus relationes temporibus significatas comprehendere debuisse ex iis, quae §. 16 dicta sunt, consequatur: radix et praesentis et aoristi non augmentati actionem vel affectionem signifiacasse debet antiquitus quolibet tempore fientem (sive praesens est sive praeteritum sive futurum, sive de eo sermo est sive non sermo est): hanc enim esse significationem omnes 14 illas actus vel affectus ad tempus relatiõnes complectentem nemo non videt (conf. supr. §. 13). Ex forma igitur radicum illarum effecimus praesenti et aoristo non augmentato notionem infuisse omnium latissimam maximeque *ἀόριστον*.

§. 19. Quod vero Boppius (Vgl. Gramm. II. pag. 369) in praesenti nec tempus praeteritum nec tempus futurum, sed praesentiam spectari ex eo efficiendum putavit, quod omnis ei nota temporalis deesset, falsissimum videtur: ex hac enim ejus forma maxime indefinita id potius, opinor, efficere licet in praesenti tempus neque praeteritum neque futurum nec vero etiam praesens temporis punctum spectari i. e. tempus certum plane nullum. Atque multa sunt, quibus ad illam meam de praesenti et aoristo non augmentato sententiam adductus sim: primum forma eorum indefinita et principium §. 16 explicatum aliisque exemplis illustratum, deinde usus posterior, qui antiquissimae hujus radicum nostrarum significationis tam multa vestigia reliquerit, ut incredibile sit vel Boppium tantis erroribus implicatum esse. Ceterum quod diximus aoristo non augmentato eandem principio notionem infuisse, quam praesenti, Boppius probare videtur, cum dicat (Vergl. Gramm. II. pag. 388): *Was die beiden Augment-Präterita anbelangt, welche im Griechischen als Imperfekt und Aorist erscheinen, so liegt in der Form, wodurch sich beide unterscheiden, keine Veranlassung eine uranfängliche Absicht der Sprache anzunehmen dieselben zu verschiedenen Zwecken zu verwenden*

III. De significatione perfecti antiquissima.

§. 20. Nota latini quoque perfecti reduplicatio est, quae, nisi radici praefixa est, in affixis *ses* (*ser, sis*) et *vês (ver, vis)* continetur*). Nunc videamus, quae significatio antiquitus infuerit in radice reduplicata, vel, quod idem valet, in ejus nota, reduplicatione (conf. supr. §. 15). Haec autem, ut ad notionem perfecti antiquissimam ideoque revera principalem perveniamus, e forma efficienda est (conf. supr. §. 14), non ex usu posteriori. Ratiocinatio non est simplicissima. Augmentum, sicut formam, sic notionem quoque habere debebit reduplicationi similem. Quare cum plusquamperfectum (atque etiam latinum) simul et augmentum contineat et reduplicationem, ejus significatio ex notionibus augmenti et reduplicationis quasi concreta esse notionesque et augmenti et reduplicationis i. e. notiones duas similes comprehendere debet. Neque igitur nisi ejusmodi 14 illarum actus vel affectus ad tempus relationes plusquamperfecto attribuere licet, ex quibus notiones duae similes altera augmenti, altera reduplicationis tanquam enucleari possint.

Hujusmodi quattuor tantum 14 illarum relationum inveniuntur: quinta, sexta, tertia decima, quarta decima. Etenim si plusquamperfecto actus vel affectus tempore praeterito d. q. s. e. praeteritus, ant actus vel affectus tempore futuro d. q. s. e. futurus (i. e. actus vel affectus et praesentia et tempore d. q. s. e.

*) Mea enim sententia, qua simplicior cogitari non potest, ***sepsi*** ex ***sep-ses-m***, ***amavissem*** ex ***ama-ves-jâ-m***, ***sepserunt*** ex ***sep-ses-unt***, ***amaverim*** ex ***ama-ves-i-m*** contracta sunt (ubi ***jâ*** et ***i*** solita signa sunt conjunctivi).

praeteritus, aut actus vel affectus et praesentia et tempore d. q. s. e. futurus) significatur: nemo non videt utramque hanc notionem ex duabus notionibus inter se simillimis conflatam esse. Sed quoniam illud tempus praefixis formatum est, quoniamque forma et significatio temporis inter se diversae esse non possunt, non nisi relationes quintam et sextam plusquamperfecto attribuere licet, quibus praeterita actio vel affectio significetur.

§. 21. Itaque plusquamperfecto actio vel affectio et praesentia et tempore d. q. s. e. praeterita significabitur: eoque aut (1) reduplicatione actus vel affectus tempore d. q. s. e. praeteritus et augmento actus vel affectus praesentia praeteritus; aut (2) reduplicatione actus vel affectus praesentia praeteritus et augmento actus vel affectus tempore d. q. s. e. praeteritus. Neque vero alterum admitti potest. Etenim quum omnia tempora ex tempore primitivo derivata huic notione subjecta sint (§. 16), perfectum notiones et plusquamperfecti et futuri exacti comprehendere debet. Ex eo autem, quod alia tempora notione magis definita circumscriptaque a radice reduplicata derivare Graecis et Latinis placuit, a radice augmentata derivare non placuit, facillime apparet hujus notionem jam satis fuisse circumscripatam atque definitam, quodcontra significationem illius tam latam fuisse atque *ἀόριστον*, ut novis temporibus notione magis definitis opus esse iis videretur ad dictionem subtiliorem accuratioremque reddendam. Videmus igitur reduplicationis vim latiorem fuisse, quam notionem augmenti.

§. 22. Quare augmento actio vel affectio significabatur praesenti temporis momento praeterita et reduplicatione actus vel affectus tempore d.q.s.e. praeteritus: nemo enim non videt vim praesentiae minus latam esse, quam notionem ejus, de quo sermo sit, temporis quod et praesens et praeteritum et futurum esse possit. Radix igitur perfecti, quoniam idem significare debet quod ejus nota reduplicatio, antiquitus actionem vel affectionem significaverit tempore d. q. s. e. praetertitam, has sex 14 illarum relationum comprehendens: 3., 4., 5., 6., 7., 8., i. e. actum vel affectum significaverit aut

1. momento praesenti d.q.s.e.
2. momentis part. praett. part. futt. d.q.s.e.

} praeteritum, aut

3. momento praeterito d.q.s.e.
4. momentis praeteritis d.q.s.e.

} praeteritum, aut

5. momento futuro d.q.s.e.
6. momentis futuris d.q.s.e.

} praeteritum.

Atque haec perfecti notio antiquissima, quam ex forma effecimus, usu quoque posteriori, ut videbimus, comprobatur. Ceterum perfectum historicum id nominare placet perfectum, quod ad praeteritas actiones vel affectiones describendas usurpatur, quodque eo pars quaedam est perfecti, ex 14 illis relationibus tertiam, quintam, sextam comprehendens.

IV. De temporum historicorum notionibus antiquissimis.

§. 23. Significatio trium illorum temporum ex augmenti notione pendet, quae supra (§. 22) jam inventa est. Augmentum igitur radicibus primitivis hanc notionem adjiciet, ut actio vel affectio praesenti temporis momento praeterita intelligenda sit. Itaque antiquissima imperfecti et graeci et latini significatio haec fuisse debet, ut actum vel affectum significaret praesenti temporis momento praeteritum. Complectebatur, ut videmus, imperfectum antiquissimum ex 14 illis actus vel affectus ad tempus relationibus tertiam, quintam, sextam, cum significare posset actum vel affectum aut

1. momento praesenti d. q. s. e., aut
2. momento praeterito d.q.s.e., aut
3. momentis praeteritis d.q.s.e.

} praeteritum.

Atque eadem fuisse debet indicativi aoristi graeci notio antiquissima (conf. supr. §. 18. Bopp. Vgl. Gramm. II. pag. 388).

Exempla hujus imperfecti et aoristi notionis antiquissimae sermo Homericus haud pauca conservavit. Homerus enim imperfecta *προσηύδα*, *φάτο*, *εὔχετο* et similia sensu aoristi usurpavit saepissime, ut quum cecinit: *Τὸν δ' ἠμείβετ' ἔπειτα βοῶπις πότνια Ἥρη* (Il. IV, 50), cujus loci sensu aoristus usus posterioris postulatur, quia eo, de quo sermo est, temporis

momento praeterito Juno loqui coepit, non in media jam loquendi actione versabatur. Similiter aoristus et imperfectum apud Homerum conjuncta inveniuntur in locis innumerabilibus, conf. Od. VII, 298: *Τὸν δ' αὖτ' Ἀλκίνοος ἀπαμείβετο φώνησέν τε*: ibid. XVIII, 78: *Ἀντίνοος δ' ἐνένιπεν ἔπος τ' ἔφατ' ἔκ τ' ὀνόμαζεν*.

§. 24. Atque hoc loco quaeritur, quomodo id factum sit, ut a Latinis, qui aoristum non finxerunt, indicativus aoristi graeci indicativo perfecti historici redderetur. Quod dijudicare facillimum est. Videmus enim indicativum aoristi antiquissimum, cujus notio §. superiori inventa est, perfecto notione subjectum esse atque eum quasi partem hujus efficere (conf. supr. §. 22), quoniam omnes actus vel affectus ad tempus relationes, quae aoristo exprimebantur, antiquitus perfecto quoque et graeco et latino exprimere licebat. Antiquitus igitur, ubicunque aoristus usurpabatur, etiam perfectum tam graecum quam latinum admitti poterat, neque igitur mirum videbitur, quod apud Latinos perfectum (historicum) aoristo graeco respondebat. Atque eandem hanc inter indicativum aoristi et perfectum graecum cognationem intercessisse principio per se intelligitur exque notione perfecti graeci antiquissima facillime consequitur. Quo autem modo id factum sit, ut in usu posteriori, ubi aoristus usurparetur, non semper perfecto graeco uti liceret, infra demonstrabitur.

§. 25. Denique plusquamperfectum, ut jam dictum est (supr. §. 21), quintam et sextam 14 illarum actus vel affectus ad tempus relationem comprehendens, ut posterius, sic etiam antiquitus significavit actionem vel affectionem tempore praeterito d. q. s. e. praeteritam i. e. aut

1. momento praetertito d. q. s. e. aut
2. momentis praeteritis d. q. s. e.

} praeteritam.

V. De significatione futurorum antiquissima.

§. 26. Futura, formam si respicimus, nihil fuerunt, quam aliae praesentis et perfecti formae, neque eo antiquitus significationem ab his diversam habuisse videantur. Sed, quamquam universe rectissimum est antiquitus, cum conscientia temporum

fictionis vigeret, eorum formam et usum inter se repugnare non potuisse, tamen contendam futurorum notiones antiquissimas easdem fuisse, quam significationes eorum principales in usu posteriori apparentes; itaque futurum simplex statim ab initio, 9.—14. ex illis actus vel affectus ad tempus relationibus comprehendens, actum vel affectum significavisse tempore d. q. s. e. futurum, i. e. aut

1. momento praesenti d. q. s. e.
2. momentis part. praett. part. futt. d. q. s. e.

} futurum, aut

3. momento praeterito d. q. s. e.
4. momentis praeteritis d. q. s. e.

} futurum, aut

5. momento futuro d. q. s. e.
6. momentis futuris d. q. s. e.

} futurum;

eodemque modo futuri exacti notionem antiquissimam hanc fuisse, ut, septimam et octavam 14 illarum relationum comprehendens, actum vel affectum significaret tempore futuro d. q. s. e. praeteritum, i. e. aut

1. momento futuro d. q. s. e., aut
2. momentis futuris d. q. s. e.

} praeteritum.

Mea igitur sententia jam usus antiquissimus futurorum significationes, revera a notionibus praesentis et perfecti non diversas, angustioribus finibus circumscripsit, ita ut, quamquam futuro simplici omnes 14 actus vel affectus ad tempus relationes*) exprimere licebat et futuro exacto earum sex**), in usu tamen non nisi parvus harum relationum numerus temporibus nostris exprimeretur. Atque, ut haec mea de hac re sententia penitus perspiciatur, primum nobis quaerendum videtur, num usui antiquissimo notiones futurorum sic, ut contenderimus, amputare atque circumcidere licuerit, deinde, quibus ex rebus id cognoscatur eum revera sic, ut contenderimus, illorum notiones circumscripsisse, denique, qua de causa hoc ipso neque alio modo tempora nostra usu antiquissimo circumscripta sint.

§. 27. Ad significationes notionibus ex forma apparentibus ideoque revera principalibus angustiores usus universe

*) Conf. supr. §. 18. **) Conf. supr. §. 22.

non nisi paullatim atque gradatim defluxisse potest: antiquitus enim conscientia temporum fictionis vigente iis universe eo sensu utendum est, qui cum intima eorum natura specieque principali i. e. cum eorum forma congruit: lingua conscientia suoque ipsius ingenio supersedere i. e. in licentiam incidere non poterat prius, quam conscientia illa inquinata esset atque obscurata. Quamquam causae esse potuerunt gravissimae, quibus impulsa jam prius angustioribus finibus formarum notiones circumscriberet, certo quodam consilio et cum conscientia conscientiam formationis aspernata. Atque eo sine ulla dubitatione contenderim eas reliquorum temporum notiones, quae ex eorum forma consequerentur, notiones fuisse ipsius usus antiquissimi, quoniam frustra ejusmodi causae requiruntur, cur homines antiquissimos verae ac principalis temporum naturae sibi conscios fuisse et nihilominus alio sensu ea usurpavisse censendum sit. Quod tamen in futura non cadere videtur: facile enim causas vel gravissimas fuisse cognoscitur, quibus impulsa lingua jam antiquitus angustioribus finibus usum futurorum principalem circumscriberet: ad actiones enim tempore d.q.s.e. praeteritas et ad actiones tempore praeterito d.q.s.e. praeteritas significandas praeter praesens et aoristum non augmentatum tempora ficta erant magis definita, perfectum et plusquamperfectum; ad actiones tempore d.q.s.e. futuras et ad actiones tempore futuro d.q.s.e. praeteritas exprimendas temporibus singularibus non minus opus erat. Quid igitur mirum, quod usus antiquissimus novas praesentis et perfecti formas finxerit eo ipso consilio, ut iis non nisi ad illas actus vel affectus ad tempus relationes accuratius exprimendas faciliusque discernendas uteretur, quamquam in forma nihil erat, quominus latiori sensu uti iis liceret? Licuit igitur usui antiquissimo futurorum significationes principales angustioribus finibus circumscribere, reliquorum temporum notiones circumscribere non licuit. Deinde, quare verisimile sit re vera usum antiquissimum illorum notiones circumscripsisse sic, ut supra contenderimus, facile videtur: primum usus posterior plane nulla vestigia conservavit, ex quibus conjicere liceat illas principio latiores fuisse; deinde maxime mirandum esset, si usus antiquissimus, qui ad actiones tempore d.q.s.e. praeteritas et ad actiones tempore praeterito d.q.s.e. praeteritas significandas tempora singularia finxisset, ad relationes contrarias tempora singularia non finxisset; denique, etsi ille universe copiam potius formarum quam subtilitatem dicendi amasse videtur, tamen maxime offenderemur, si tres radicis verbalis formas (radices praesentis, aoristi non augmentati, futuri) plane eodem sensu usurpavisset. Cur autem hoc ipso, ut contendissemus, neque alio modo usu antiquissimo futurorum notiones circumscriptae essent, supra jam attactum est. Sicut enim certis quibusdam temporibus, perfecto et plusquamperfecto, actiones tempore d.q.s.e. praeteritae et actiones tempore praeterito d.q.s.e. praeteritae significabantur: sic tempora quoque desiderabantur singularia ad contrarias actus vel affectus ad tempus relationes exprimendas.

Unum praeterea hoc loco monendum videtur. Quum radix futuri, id quod ex usu posteriori efficitur, actionem vel affectionem significet tempore d. q. s. e. futuram, per se intelligitur eandem hanc notionem totius futuri communem atque eo etiam indicativo futuri propriam fuisse, cujus forma nihil habeat, cur ejus vis a notione modorum futuri diversa fuisse censenda sit. Itaque exempli causa etiam actus vel affectus praeterito momento d. q. s. e. futurus indicativo nostro significatus esse potest i. e., sicut participium *φιλήσων* saepissime *eum* significat *qui praeterito temporis momento d. q. s. e. amaturus erat*, sic etiam indicativus *φιλήσω* antiquitus idem quod *praeterito momento d. q. s. e. amaturus eram* valuisse potest *κατὰ δύναμιν*. Utrum vero haec futuri significatio potentialis quasi ad rem et veritatem traducta fuerit usuique ipsi placuerit, an propter nimiam hujus dictionis *ἀοριστίαν* usu repudiata sit, nihil refert. Hoc satis constare videtur indicativum quoque futuri hoc sensu usurpari potuisse, quamquam nesciamus, num revera sic usurpatus sit. In usu antiquissimo considerando *potentialitas* potius quam *realitas* spectanda est, quippe cujus exempla usque ad nostram aetatem non permanserint.

§. 28. Atque ut omnia, quae dicta sunt, summatim proponam us ita, ut appareat, quibus temporibus singulas illarum

PARS TERTIA.

DE NOTIONIBUS TEMPORUM POSTERIORIBUS.

§. 29. Ut usus temporum posterior penitus perspiciatur, prae ceteris necesse videtur eas nos eorum notiones investigare, quae totum usum complectantur omnibusque ejus exemplis comprobentur, quas *notiones temporum principales (Grundbedeutungen) in usu posteriori apparentes* nominare licet. Atque in hac ipsa re omnium vehementissime ab hominibus rei grammaticae peritis dissentio, quod ejusmodi temporibus attribuerunt significationes, quibus exempla haud pauca sujecta non sunt: velut hanc perfecto graeco vim inesse contendunt, ut actionem significet praesenti temporis momento perfectam, iidemque perfecta plurima inveniri concedunt, quibus actio praesentia non perfecta, sed etiamnunc durans significetur (conf. Mathiae Griech. Gramm. §. 505. III); et alio loco imperfecto tam graeco quam latino notionem imposuerunt actionis saepius factae, etiamsi eorum nemo ignorat pluribus etiam imperfectis actionem non saepius, sed semel certa quadam oblata occasione factam significari. Omnes igitur temporum notiones, quae non, totum usum comprehendentes, in omnibus exemplis quasi effictae sint atque expressae, veras eorum significationes esse nego, quoniam, sicut diversa simulacra rei alicujus ejus ipsius naturae, sic temporis alicujus exempla intimae ejus naturae specieique principali contraria esse nullo modo possunt: immo tota varietas in usu ejus apparens ad unum fontem redire debet. Nemo igitur me vituperabit, quod ante omnia principales temporum notiones in usu posteriori apparentes proponendas i. e. omnia cunjusque temporis exempla in unam summam comprehendenda esse existimaverim.

§. 30. Atque id alia quoque de causa gravissimum videtur. Etenim cum cogitari non possit Homeri aetate significationes temporum antiquissimas omnino jam fuisse inquinatas atque corruptas; principales eorum notiones in usu posteriori apparentes, quippe quae etiam Homericum sermonem complectantur, ab antiquissimis eorum significationibus non ita diversae fuerint. Nec nos fefellit. Videbimus enim quattuor tan-

relationum in usu antiquissimo exprimere licuerit;

significabatur in usu antiquissimo actio vel affectio

	momento praesenti	momentis partim praeteritis partim futuris	momento praeterito	momentis praeteritis	momento futuro	momentis futuris
fiens	**ap. Gr.** *Indicativo praes. Modis praes. aor.* **ap. Lat.** *Indicativo praes. Modis praes.*		Conf. quae de his relationibus supr. §. 13 dicta sunt.		Conf. quae de his relationibus supr. §. 13 dicta sunt.	
praeterita	**ap. Gr.** *Ind perf. impf. aor. praes. Mod. perf. praes. aor.* **ap. Lat.** *Indic. perf. impf. praes. Modis perf. praes.*	**ap. Gr.** *Indic. perf. praes Modis perf. praes. aor.* **ap. Lat.** *Indicativo perf. praes. Modis perf. praes.*	**ap. Gr.** *Indicativo plsq. perf. impf aor. praes. Modis perf. praes. aor.* **ap. Lat.** *Indicativo plsq. perf. impf. praes. Modis perf. praes.*		**ap. Gr.** *Indicativo fut. III perf praes. Modis perf. praes. aor.* **ap. Lat.** *Indicativo fut. III. perf. praes. Modis perf. praes.*	
futura	ap. Gr. *Indicativo fut. praes. Modis fut. praes. aor.* — ap. Lat. *Indicativo fut. praes. Modis fut. praes.*					

tum fuisse tempora, modos praesentis et aoristi, imperfectum et aoristi indicativum, quorum notiones principales in usu posteriori apparentes antiquissimis eorum significationibus angustiores essent. Quae cum ita sint, cum valde nobis sit suspicandum notiones temporum principales in usu posteriori apparentes et significationes eorum antiquissimas non ita diversas, sed arctissima cognatione inter se conjunctas fuisse, nemo non videt eas, quas supra ex forma effecimus, revera notiones temporum antiquissimas fuisse etiam usu facile comprobari posse ita, ut easdem fere significationes temporum principales ex posteriori quoque usu apparere demonstremus.

§. 31. In hoc tamen non subsistendum est: non modo veras temporum notiones, sed etiam eas regulas investigari necesse erit, quibus illae in usu vulgari circumscriptae sint. Neque enim negari potest alias fuisse temporum notiones principales in usu posteriori apparentes, alias notiones eorum vulgares. Quaestio igitur est, quae inter eas cognatio intercesserit. Ad quam hoc statim loco universe respondeam. Cum notiones temporum vulgares a principalibus significationibus, quod facile intelligitur, diversae sint, neque tamen iis contrariae esse possint, sequitur, ut iis subjectae esse exque iis quodammodo fluxisse debeant. Significationes temporum principales, ut videbimus, latissimae erant i. e. plurimas 14 illarum actus vel affectus ad tempus relationum comprehendebant. Quid mirum, quod subtilitate cogitandi crescente major dictionis quoque subtilitas desiderabatur, quodque eo notiones principales usu vulgari *ἀοριστίαν* evitanti quippe, quae latiores ei viderentur, finibus angustioribus circumscriptae sunt? Exemplo utar hocce: praesentis et graeci et latini notio principalis haec erat, ut omnes illas relationes comprehendens actionem significaret quolibet tempore fientem: notio igitur ei inerat omnium vel maxime indefinita atque lata, et hoc ipsum causa fuit, cur usus vulgaris ad hanc *ἀοριστίαν* evitandam indicativum quidem praesentis non nisi ad primam et secundam quatuordecim relationum illarum exprimendas retineri atque ita notionem indicativi praesentis principalem angustioribus finibus circumscribi voluerit, quod ei non licuisse nemo contendet, quoniam ad re-

liquas relationum illarum significandas praeter indicativum praesentis aliorum quoque temporum indicativis utebatur. Videmus igitur et infra accuratius demonstrabitur notionem temporis alicujus vulgarem certam quandam partem esse significationis principalis, et causam, cur notiones temporum principales circumscriberentur, studium fuisse dictionis magis definitae.

§. 32. Aliud exemplum a re huic quaestioni haud aliena repetatur. Conjunctivum imperfecti (optativum praesentis) et conjunctivum praesentis itemque conjunctivum plusquamperfecti (optativum perfecti) et conjunctivum perfecti principio significatione non diversos fuisse supra ex eorum forma jam demonstratum est. Quod idem ex usu quoque posteriori facillime cognoscitur, quoniam eos saepissime inter se confusos videmus ita, ut, ubi alteri usurpari soliti erant, alteri non omnino repudiarentur. Quodquidem fieri non potuisset, nisi eorum significatio principalis plane eadem fuisset. Facillime autem, quod usus vulgaris severissimc eos separavit, explicari posse videtur. Nam formâ aliquâ, ubi uti licebat, non uti i. e. ejus usum angustioribus finibus circumscribere eodem jure Graecis et Latinis licuit, quo tota verba obsoleta, quae nominantur, ex usu vulgari evanuerunt. Atque ita in enunciationibus conditionalibus et conditionatis principio quidem inter illos discrimen non intercedebat: sed quum Latini cognovissent duo genera esse ejusmodi sententiarum, haec iis dictione quoque distinguenda videbantur atque ita conjunctivorum illorum notiones principales circumscriptae sunt, ut alteris conditiones veritati respondentes, alteris conditiones veritati repugnantes significarentur. Quodsi in usu posteriori conjunctivus praesentis et perfecti in altero aut conjunctivus imperfecti et plusquamperfecti in primo genere conditionum occurrit, ejusmodi exempla non exceptiones habendae sunt (nam in regula plane arbitraria exceptiones cogitari non possunt), sed recordationes potius naturae conjunctivorum illorum principalis. Idem cadit in sententias optativas. Neque alia ratio est enunciationum a particulis *ὅφρα*, *ὅπως*, *ὡς*; *ἐπεί*, *ὅτε* similibusque pendentium. Quarum nulla est, in qua non optativus eodem jure admitti potuerit, quam conjunctivus. Sed quoniam ejusmodi sententiae de rebus aut (absu-

lute) praeteritis aut (absolute) praesentibus futurisque dici poterant, placuit Graecis et Latinis ad haec earum genera facilius dictione quoque distinguenda in alteris alteras conjunctivi formas usurpare. Eodem fere modo Graeci, quibus in sententiis cohortativis, optativis, potentialibus, dubitativis principio et conjunctivo et optativo uti licebat, in alteris conjunctivo, in alteris optativo uti solebant ad eas externa quoque forma facilius distinguendas. Sed accurate haec persequi alienum est: hoc optime teneatur subjunctivos imperfecti et plusquamperfecti latini ad praesens et perfectum referendos esse.

§. 33. Facile igitur videre licet, quid in hac commentationis parte nobis propositum sit. Primum de notionibus temporum principalibus in usu posteriori apparentibus, deinde de vulgaribus eorum notionibus disserendum erit. Neque tamen quisquam a me postulabit, ut hoc loco eae significationes, quae mihi quidem notiones principales et vulgares esse videantur, exemplis quam plurimis confirmentur: nihil aliud mihi sumendum putavi, quam simpliciter illas proponere et paucis modo exemplis illustrare magis, quam confirmare. Neque enim injuria Callimachus: *μέγα βιβλίον*, inquit, *ἴσον μεγάλῳ κακῷ*, atque ita multo melius mihi visum est hoc loco de principiis in usus varietate apparentibus disserere, alia occasione oblata hanc ipsam varietatem accuratius perlustrare, quam omnia una commentatione exhaurire. Quin etiam de illa varietate fusius scribere huic nostrae quaestioni plane alienum videtur, cui diversae temporum notiones non inveniendae aut confirmandae, sed non nisi in uno conspectu collocandae sunt. Itaque tertiae huic commentationis parti aliud quid propositum est. Quod enim ex uno fonte universum usum derivare conatus sum, hoc potius jure a me postulabitur, ut in uno conspectu, sicut notiones temporum antiquissimas jam collocovi, sic posteriores quoque eorum significationes collocem. Quod ita fieri potest facillime, ut, quo modo cum notionibus antiquissimis notiones usus posterioris principales et cum his notiones vulgares cohaereant, demonstremus. Sic enim, quum ex idea temporum notiones antiquissimas, ex his notiones usus posterioris principales, ex his notiones vulgares manare demonstraverimus: id consecuti

erimus, quod nobis proposueramus, ut ad unam ideam, totius de temporibus doctrinae dominatricem, totum usus varietatem referremus.

I. De notionibus temporum principalibus in usu posteriori apparentibus.

§. 34. Modi aoristi et praesentis, indicativus aoristi (perfecti historici) et imperfecti. Notiones temporum principales in usu posteriori apparentes, ut supra jam dictum est, maxima ex parte a notionibus antiquissimis non diversae sunt. Etenim, si totum usum posteriorem in uno conspectu collocantes omnia cujusque temporis exempla in unam summam comprehendimus, non nisi indicativo imperfecti et aoristi (perfecti historici) modisque praesentis et aoristi in usu posteriori notiones angustiores, quam in usu antiquissimo propriae videntur esse. Antiquitus modis et praesentis et aoristi actus vel affectus significabatur quolibet tempore fiens (conf. supr. §. 18), itemque indicativo et imperfecti et aoristi (perfecti historici) actio vel affectio praesenti temporis momento praeterita (conf. supr. §§. 23 sq.). Sed quum Graeci et Latini viderent actum vel affectum tempore aliquo fientem hoc tempore aut incipientem esse aut jam durantem i. e. subjectum, aliquid faciens vel patiens, aut in actionem vel affectionem incidens cogitari posse aut in media ea jam versans: sic notiones temporum illorum antiquissimas usus posterior circumscripsit, ut altera ad alteras actiones significandas retinens actum vel affectum quolibet tempore fientem **aut** modis praesentis **aut** modis aoristi itemque actum vel affectum praesenti temporis momento praeteritum **aut** indicativo imperfecti **aut** indicativo aoristi (perfecti historici) significaret, ut actus vel affectus aut jam durans aut incipiens cogitabatur. Itaque notiones temporum nostrorum principales in usu posteriori apparentes hae sunt, ut modis aoristi actus vel affectus significetur tempore quolibet incipiens, modis praesentis graeci actio vel affectio tempore quolibet jam durans, indicativo aoristi (perfecti historici) actus vel affectus tempore praeterito incipiens, indicativo imperfecti actio vel affectio tempore praeterito jam durans.

§. 25. Omnes igitur modi praesentis et aoristi, omnesque indicativi imperfecti et aoristi (perfecti historici), ubicunque inveniuntur, sic, ut supra dictum est, inter se differre, easque, quas proposuimus, significationes ubique in usu posteriori habere debent: sunt enim eorum significationes principales. Itaque ea imperfecti et aoristi (perfecti historici) discrimina, quae a grammaticis iis imposita his notionibus principalibus non subjecta sint, falsa existimo. Ex quibus unum modo commemorandum videtur. Contendunt illi imperfecto vim actionis saepius iteratae et aoristo (perfecto historico) vim inesse actionis semel factae. In quo non vidisse videntur imperfecto non minus saepe actum significari semel factum atque hac sola de causa discrimen illud damnandum esse. Accedit, quod in aoristo et perfecto historico actus vel affectus saepius iteratus spectatur saepissime, velut ipsi grammatici aoristum non rarissime verbo solendi transvertendum esse docuerunt, aut, quum Horatius cecinit *diffidit urbium Portas vir Macedo et subruit aemulos Reges muneribus* (Od. III, 16, 13 sqq.) — atque ejusmodi exempla innumerabilia sunt — nemo eorum perfectis notionem actus semel facti subjiciendam esse putabit (semel unam quamque portam diffidit, portas urbium non nisi diversis temporibus diffidisse potest). Videmus et imperfectum et aoristum (perfectum historicum) de rebus et semel et saepius factis usurpari: iisque si actio saepius iterata significatur, hoc discrimen inter ea intercedere debet, ut actus imperfecto significatus saepius praeterito temporis spatio durans cogitetur, quodcontra actus aoristo (perfecto historico) significatus saepius praeterito temporis spatio incipiens.

Atque ita, quod Hermannus (Opusc. III. pag. 242 in.). Homerum Iliad. γ, 232, quum diceret *πολλάκι μιν ξείνισσεν ἀρηΐφιλος Μενέλαος οἴκῳ ἐν ἡμετέρῳ, ὁπότε Κρήτηθεν ἵκοιτο*, si *πολλάκι* omisisset, *ξείνιζεν* dicturum fuisse contendit, plane falsum est. Etenim, si dicitur *πολλάκι μιν ζείνισσεν*, hoc dicitur Menelaum saepe eum hospitio excepisse ita, ut in actionem *τοῦ ξεινίζειν* saepe incidens cogitetur; sin vero imperfectum usurpasset, ei hic sensus subjiciendus esset, Menelaum saepe eum hospitio exceptum habuisse ita, ut in media *τοῦ ξεινίζειν*

actione saepe versatus diceretur. Quantopere vero, sensum si respiciamus, differat, utrum Idomeneus saepe hospitio receptus an saepe hospitio usus dicatur, nemo non videt. Neque eo Homerus, si *πολλάκι* omisisset, imperfecto uti potuisset, dummodo illius loci sensum servari voluisset. Hoc igitur optime tenendum est, ubicunque imperfectum et aoristus (perfectum historicum) de rebus saepe iteratis dicantur, in iis hunc sensum inesse subjectum aut in actione quadam versari aut in eam incidere solitum fuisse.

§. 36. Sed ut videas discrimen illud imperfecti et aoristi (perfecti historici), modorum praesentis et aoristi rectissimum esse, nonnulla exempla et exemplorum genera perlustremus. Actum vel affectum incipientem verbo *fieri* reddere licet, actum vel affectum jam durantem verbo *esse* ita, ut exempli gratia *φοβηθῆναι* transvertatur *timentem fieri* i. e. *in timorem incidere*, sed *φοβεῖσθαι timentem esse* vel *in timore jam versari* aut *ἐφοβήθην* (*timui*) *timens factus sum, in timorem incidi*, sed *ἐφοβούμην* (*timebam*) *timens eram, in timore versabar*. In aoristo (perfecto historico) actum spectari incipientem veteres ipsi indicaverunt, quum aoristum (perfectum hist) verbi *εἰμί* (*sum*) a radice initium *τοῦ εἶναι* significanti (*γεν, fu* graec. *φυ*) repeterent. Itaque perfectum *fui*, ubicunque invenitur, idem valet quod nostrum *ich wurde*, velut, cum Caesar dicit *Apud Helvetios longe nobilissimus et ditissimus fuit Orgetorix* (B. G. I, 2 in.) transvertendum est: *Bei den Helvetiern schwang sich Orgetorix zum höchsten Ansehn und zum reichsten Manne empor.* Similiter ex eo, quod verborum inchoativorum perfectum a verbis primitivis repetitur, videmus in perfecto ipso vim inchoativam i. e. notionem actus fientis vel incipientis inesse. Atque eodem modo imperfecti significationem principalem eam esse, quam diximus, veteres ipsi indicasse videntur, quum hujus similia inveniantur: *Aderant unguenta, coronae, incendebantur odores, mensae conquisitissimis epulis exstruebantur, fortunatus sibi Damocles videbatur: in hoc medio apparatu fulgentem gladium e lacunari demitti jussit Dionysius* (Cic. Tusc. V, 21, 61).

Omnes actiones vel affectiones, quae per punctum modo temporis durant, quum earum initium et finis in unum mo-

mentum incidant, partem mediam continentes i. e. jam durantes cogitari non possunt, sed non nisi incipientes, eoque non nisi aoristo (perfecto historico) aut modis aoristi (non praesentis graeci) significari potuerunt; itaque illud scripturae sacrae יְהִי אוֹר non *γιγνέσθω*, sed *γενέσθω φῶς* transvertendum erit. Sed si de certo quodam tempore sermo sit, quo jam durans sit actio vel affectio ita, ut jam ante hoc tempus ceperit initium, non nisi ejusmodi temporibus uti licere, quibus jam durans actio vel affectio significetur, per se intelligitur: non igitur dicendum est: *anno* 425 *bellum Peloponnesiacum gestum est*, sed *anno* 425 *gerebatur*. Idem cadit in eas sententias, in quibus particulae *ἤδη, πάλαι, ἔτι, jam, tot jam annos, etiamnunc, etiamtunc* similesque insunt: his enim id ipsum exprimitur subjectum in actum non incidere, sed in eo aliquamdiu jam versari.

In comprehensionibus ex particulis *ὅτε, quum* pendentibus, quibus duos actus vel affectus in idem tempus incidere dicitur, quo discrimine imperfectum et aoristus (perfectum historicum) aut modi praesentis et aoristi adhibeantur, facile apparet. Sunt enim harum enunciationum quattuor genera, ut aut alterius actus initium in initium alterius aut initium alterius in alterius partem mediam aut alterius pars media in initium alterius aut pars media alterius in alterius partem mediam incidit (conf. has figuras: ). Itaque exempli causa in hoc exemplo Ciceroniano *qui dum conatus est, venit in periculum* (pro Mur. 27) rectissime perfectum verbi *conari* usurpatum est. Sensus enim hic est *Murenam, dum in conatum inciderit, h. e. eodem temporis momento, quo conatum facere coeperit, in periculum venisse*; quodcontra, si dicitur *Murena dum conabatur, venit in periculum*, hoc dicitur *Murenam, dum in medio jam conatu infuerit, venisse in periculum* i. e. jam duravisse aliquod tempus *Murenae conatum, quum repente periculum sese ostenderit:* neque quisquam est, quin, quam magnum sit duarum sententiarum discrimen, intelligat. Neque alia est ratio sententiarum earum, in quibus altera ejusmodi actionum in idem tempus incidentium participio significatur, in quibus utrum participium aoristi an praesentis usurpandum sit, facillime dijudicari potest. Conf. Ὡς

ἔφατ', ἡμῖν δ' αὖτε κατεκλάσθη φίλον ἦτορ Δεισάντων φθόγγον τε βαρὺν αὐτόν τε πέλωρον (Hom. Od. IX, 256 sq.) *Πολλὰ δ' ὅγ' ἐν πόντῳ πάθεν ἄλγεα ὃν κατὰ θυμὸν Ἀρνύμενος ἥν τε ψυχὴν καὶ νόστον ἑταίρων* (ibid. I, 4 sq.) *Οἳ πρῶτα μὲν βλέποντες ἔβλεπον μάτην, κλύοντες οὐκ ἤκουον* (Aesch. Prom. 456 sq. Blomfield).

Omnis descriptionis natura haec est, ut ex certa quadam actione aut vero etiam ex certis quibusdam actionibus in idem temporis momentum incidentibus proficiscatur; deinde in continuanda descriptione ad aliam actionem vel ad alias actiones item de uno temporis momento dictas et hoc modo ad alias deinceps ab aliis actionibus procedatur. Atque ea de causa gravissimum videtur ad temporum rationem recte perspiciendam eas actiones vel affectiones comprehendere, quae de eodem tempore dictae sint. Quod, si faciemus, tempora nostra ubique rectissime usurpata videbuntur. Neque raro causa, cur falsas interpretes temporibus attribuerint significationes, haec est, quod non recte singulas actiones inter se conjunxerunt. Exempla propono haecce: noti illi versus Virgiliani, qui initio secundi Aeneïdis libri leguntur: *Conticuere omnes: intentique ora tenebant, Inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto* non recte ab interpretibus perspecti sunt. Hoc enim ex falsa librorum interpunctione cognosco. Has duas sententias *Conticuere omnes* et *intentique ora tenebant* non arctius conjungere atque ita post *omnes* non comma, sed majorem interpunctionem ponere debebant; immo vero illud *intentique ora tenebant* referendum est ad sequentem conprehensionis partem, non igitur puncto, sed commate ab hac dividendum erat. Hoc enim modo si loci membra distinguimus, statim rectissime tempora diversa usurpata videmus, quoniam sic hoc dici apparet primo omnes in conticendi actum incidisse h. e. conticere coepisse (unde perfectum *conticuere*), tum Aeneam, cum duraverit aliquamdiu orum tenendorum actio, in ordiendi actum incidisse (unde imperfectum *tenebant* et perfectum *orsus*). Si ad antecedentem sententiam Virgilius voluisset *intentique ora tenebant* pertinere i. e. duas has sententias de eodem dici temporis momento, non imperfecto *tenebant*, sed perfecto *tenuerunt* utendum

fuisset, quoniam auditores eo tempore, quo conticuerunt, in actionem illam inciderunt, non in ea aliquamdiu jam versabantur. Nobis igitur versus illos sic reddere licet: *Es verstummten Alle und, während sie nun ihre Blicke gespannt auf Aeneas gerichtet hielten, begann dieser so vom hohen Sessel. — καὶ ἔγκυος ἐοῦσα εἶδε ὄψιν ἐν τῷ ὕπνῳ ἐδόκει δὲ λέοντα τεκεῖν καὶ μετ' ὀλίγας ἡμέρας τίκτει Περικλέα Ξανθίππῳ* (Her. VI, 131 fin.) Bernhardy (Wissenschl. Syntax pag. 372. 3) interpretatus est falsissime, neque ulla alia de causa, quam, quod imperfectum ἐδόκει et aoristum εἶδε conjunxit i. e. de eodem temporis momento dicta voluit (vertit *damals glaubte sie zu sehen*). Sed facile apparet eo momento, quo ille εἶδε ὄψιν ἐν τῷ ὕπνῳ i. e. somniare coeperit, τὸ δοκεῖν non aliquamdiu jam duravisse, sed eodem temporis momento incepisse. Quare illud ἐδόκει de temporis puncto posteriori dictum est, quo experrecta est Agariste aut, si mavis, somnium narravit: particula δέ igitur, ut saepe, progressum descriptionis indicat. Nos locum illum sic reddere possumus: *sie sah ein Traumbild im Schlafe und sie wollte* (scil. *später*) *einen Löwen geboren haben* et reliqua. Imperfectum igitur notionem principalem etiam hoc loco servavit. Atque exempla huc pertinentia innumerabilia sunt, addo *Verres inflammatus furore in forum venit: ardebant oculi* (in Verr. V, 34, 90), ubi jam durabat ardor oculorum eo temporis momento, quo Verris in forum adventus acciderit.

In praesens temporis punctum simul et initium actus vel affectus et medium ejus momentum incidere non possunt. Quare si de praesentia actus vel affectus dicitur, facillime dijudicari potest, utrum incipiens an jam durans cogitetur, utrum modis aoristi an praesentis utendum sit (ceterum conf. quae de praesentiae notione supr. §§. 6 sqq. dicta sunt). Commemorem hoc loco non nisi eos aoristi et praesentis modos, in quibus voluntas inest. Quodsi actio vel affectio, praesentia jam durans, aut jubetur aut optatur aut vetatur, i. e., si in ea aut pergendum aut ab ea desistendum dicitur, semper imperativo vel conjunctivo vel optativo praesentis utendum est, conf. *Οἱ δ' ἄλλοι μένετ' αὐτοῦ* i. e. *pergite hic manere* (Hom. Od. III, 427). *Εἰ δ' αὖ τις ἄλλον οἶδεν ἐξ ἄλλης χθονὸς Τὸν αὐτόχει-*

ρα, μὴ σιωπάτω i. e. *ne amplius taceto, tacere desinito* (Soph. OT 230 sq. Schneidewin): in quo id notandum videtur, imperativum praesentis graeci de rebus nunc jam durantibus dictum a nostris particulis *immerhin, nur, meinetwegen,* ad imperativum accedentibus, reddi solere, velut *Θυμοῦ δι' ὀργῆς, ἥτις ἀγριωτάτη* (ibid. 344) transvertendum est *Zürne immerhin, so leidenschaftlich du kannst* (conf. Aesch. Prom. 973 Blomfield). Quod contra, si actio vel affectio, ipso praesentiae momento incipiens itaque futuro temporis spatio durans, jubetur vel optatur (vetatur), modis et aoristi et praesentis uti licet, ut aut statim nunc in illam ingrediendum (non ingrediendum) aut futuro temporis spatio in media tea versandum (non versandum) exprimere volumus. Ad haec duo sententiarum optativarum genera tertium accedit, si actio vel affectio, quae jubetur aut optatur aut vetatur, tota post praesens cadit temporis momentum, ubi imperativum, conjunctivum, optativum, infinitivum et aoristi et praesentis usurpari posse nemo non videt.

In omnibus comprehensionibus, quarum pars altera ex particulis ἕως, ἔς τε, ὄφρα, εἰσόκε, *dum, donec bis* significantibus pendet, actionem alteram alterius terminum sive finem esse dicitur. Sunt autem duo earum genera optime discernenda. (1) Primum enim terminus ejusmodi esse potest, qui, nondum ad rem veritatemque traductus, subjecto aliquid facienti vel patienti non nisi cogitatione obversetur. Hujusmodi finis actûs vel statûs alterius (ex particulis illis pendentis) aut initium aut medium punctum esse, subjectoque aut in actionem primariam ingredienti aut in media ea versanti obversari potest. Ut exempli causa aut initium noctis aut medium ejus punctum pugnandi terminum esse velle possumus idque aut in pugnam incidentes aut in media ea jam versantes. Videmus igitur in utraque harum comprehensionum parte et iis temporibus uti licere, quibus incipiens actus vel status significetur, et iis, quibus jam durans significetur: velut dici potest et *ἐμαχέσαντο, ἕως νὺξ γένοιτο* i. e. in pugnam ineuntes initium noctis pugnandi finem esse voluerunt, et *ἐμάχοντο, ἕως νὺξ γένοιτο* i. e. in pugna jam versantes initium noctis pugnandi finem esse

voluerunt, et ἐμαχέσαντο, ἕως νὺξ εἴη i. e. in pugnam ingredientes mediam noctem pugnandi terminum esse voluerunt, et ἐμάχοντο, ἕως νὺξ εἴη i. e. in pugna jam versantes mediam noctem terminum pugnandi esse voluerunt, Itaque Tacitus, quum dicit *Pugnatum est longo agmine et incerto Marte, donec proelium nox dirimeret* (Hist. IV, 35), id dicit *pugnam incipientes id tempus finem pugnandi esse voluerunt, quo proelium nox dirimeret.* Qua in sententia indicativo *diremit,* quem Zumpt (Lat. Gramm. §. 575 not.) sensu postulari contendit, uti nullo modo licebat, quoniam eo tempore, quo pugnatum i. e. pugna incepta est, terminus pugnandi non nisi animis militum obversari poterat. (2) Deinde terminus actionis primariae ejusmodi esse potest, ad quem subjectum aliquid faciens vel patiens revera pervenisse dicatur. Terminus hujusmodi, actûs vel statûs alterius (ex particulis illis pendentis) aut initium aut medium punctum esse potest, ut actio vel affectio altera aut usque ad alterius initium aut usque ad medium ejus punctum patebat: eoque in ejusmodi comprehensionum parte relativa et indicativo aoristi (perfecti historici) et indicativo imperfecti uti licebat. Sed quum ad terminum eo demum temporis momento perveniamus, quo in actione vel affectione primaria jam aliquamdiu versamur, in enunciatione primaria non nisi imperfectum admitti potest. Itaque aut dicendum est ἐμάχοντο, ἕως νὺξ ἐγένετο aut ἐμάχοντο, ἕως νὺξ ἦν: *pugnatum est, donec proelium nox diremit* dicere soloecismus est.

Deinde enunciationes commemorem a conjunctionibus ὡς (ἐπεὶ) τάχιστα, ὡς πρῶτον, ἅμα c. *inf., ubi (quum) primum, simulatque* incipientes. In iis enim, quod semper fere tempora ejusmodi usurpata videmus, quibus actus vel affectus incipiens significaretur, optime cum harum sententiarum natura convenire videtur, quum nulla alia his comprehensionibus sententia subjici possit, quam statim post initium actus vel affectus alterius alterum aut incepisse (incepturum esse) aut jam duravisse (jam duraturum esse). Itaque plusquamperfectum in prima earum parte tolerandum est (si dicere volumus statim post finem actus vel affectus alterius alterum aut incepisse aut jam duravisse), sed imperfectum plane intolerandum videbatur

(nam statim post medium actionis vel affectionis alterius punctum alteram aut incepisse aut jam duravisse dicere absurdum est). Quare unum illud exemplum, in quo imperfectum me legere memini: *Idem simulac se remiserat neque causa suberat, quare animi laborem perferret, luxuriosus reperiebatur* (Nep. Alc. 1) sic legendum existimo: *Idem simulac se remiserat* (*neque causa suberat, quare animi laborem perferret*), *luxuriosus reperiebatur.* Ita enim, si loci membra distinguimus, illud imperfectum neminem offendere potest, quoniam jam durabat aliquamdiu causae defectio, quum Alcibiades sese remisit. Ceterum in sententia primaria imperfectum *reperiebatur* usurpatum est rectissime. Etenim famae illius luxuriei initium id fuit temporis momentum, quo Alcibiades sese recepit, eoque, simulac se remiserat, fama illa unum momentum, aut, si mavis, duo momenta jam durasisse videtur (verte *sobald er sich zurückgezogen hatte, stand er im Rufe der Ueppigkeit*). — Comprehensionibus a particulis ἐπεί, *postquam* incipientibus id proprium erat, ut Graeci et Latini tempus actionis vel affectionis primariae non ex alterius fine, sed ex alterius initio judicare solerent. Neque enim dicebant *postquam coenaveram* i. e. *post id tempus, quo coena ad finem adducta est,* sed *postquam coenavi* i. e. *post id tempus, quo coenare coepi, cubitum ivi*; primo coenare me coepisse, tum (scil. coena finita) ad quietem transiisse. Qua autem de causa terminum, ex quo actionis primariae tempus judicarent, alterius non finem, sed initium esse voluerint, id alio loco dijudicare conabor, hoc loco satis est dixisse actum post actus finem jacentem etiam post initium ejusdem jacere, itaque Graecis et Latinis ejusmodi in sententiis aoristo et perfecto historico uti eodem jure licuisse, quo nostri plusquamperfecto uti soleant.

Denique iis comprehensionibus, quarum pars altera ex particulis πρὶν (ὅτε), πάρος, *priusquam, antequam* pendet, alteraque aut affirmativa est aut negativa, actum primarium ante (non ante) alterum factum vel futurum esse dicitur: eoque in earum parte relativa et iis temporibus uti licere, quibus actus incipiens significetur, et iis, quibus actus jam durans significetur, per se intelligitur. Quam magnum vero discrimen sit, utra ex particulis illis pendeant, ex hoc exemplo apparebit.

Si dicitnr: *ne prius animum ostenta, quam sudare incipias* i. e. *tum denique tempus erit animosum te praebendi, quum sudare incipies,* hoc multo languidius esse, quam si dicitur: *ne prius animum ostenta, quam perfusus sis sudore* i. e. *tum denique animosum te praestandi tempus erit, quum in medio sudore ineris,* nemo non videt. Quare Bothe Aristoph. Pac. 84 Dobraeo *πρὶν ἰδίσης* scribenti injuria obsecutus est. Sed haec hactenus.

§. 37. Indicativus praesentis graeci et latini, modi prasentis latini. Reliquorum temporum notiones principales in usu posteriori apparentes, ut jam diximus, ab eorum notionibus antiquissimis non diversae sunt. Ac primum indicativus praesentis graeci et totum praesens latinum universe in usu posteriori actionem vel affectionem significasse videntur quolibet tempore fientem (aut incipientem aut jam durantem). Neque difficile est ad cognoscendum, cur horum temporum notiones antiquissimas usus posterior non eodem modo, ut antiquissimam modorum praesentis graeci significationem (conf. sup. §. 34), circumscripserit. Etenim quum modorum praesentis graeci duae essent formae (modi aoristi et praesentis, quod dicitur), optime communis earum notio inter eas dispertiri potuit: quodquidem in praesens latinum non cadit neque in indicativum praesentis graeci, quorum temporum duae formae non essent fictae. Atenim omnes, ni fallor, grammatici contra nituntur et indicativo quidem praesentis et graeci et latini vim actionis vel affectionis nunc praesenti temporis momento fientis imposuerunt et ad hanc sententiam sustinendam defendendamque novam quandam invenerunt doctrinam. Contendunt enim, ubicunque praesens de rebus praeteritis aut futuris dictum sit, personam loquentem in eo tempore versari sibi videri, quo res illae praeteritae aut futurae praesentes aut fuerint aut futurae sint, quamquam revera in hoc tempore non versetur. Quam illorum de praesenti sententiam absurdissimam iis, qnae sequuntur, confutare conabor.

§. 38. Ac primum haec sententia una ex illis opinionibus esse videatur, quas *factas* Cartesius nominavit: nullo enim certo argumento confirmari potest, quum vel usus ad eam accommodatus sit potius, quam sese ad eum accommodet. Deinde

si quis censet hanc praesentis significationem simpliciorem esse ea, quae a me proposita sit: videat, ne ratio, qua ea ad singula usus praesentia accommodetur, longius repetita sit, quam praesentis significatio a me proposita latior magisque indefinita. Deinde mea de praesenti sententia ad indefinitam ejus formam optime convenire videtur (conf. supr. §. 16). Quid, quod personam loquentem in temporis spatium aut praeteritum aut futurum sese transferre (hineinschwindeln) posse existimant vi illa animi humani, quae *φαντασία* dicitur apud Graecos? nonne comparari potest cum sententia illa Neoplatonicorum perversissima, qui per furorem ad Deum tanquam transcendendum esse putabant? Si Nereus, qui omnes res et praeteritas et futuras quasi praesentes scientia sua complectitur, bellum Trojanum vaticinans: *Heu, heu!* inquit, *quantus equis, quantus adest viris Sudor, — — — Urgent impavidi te Salaminius et Sthenelus sciens — — — Ecce furit te reperire atrox Tydides melior patre*; praesenti notionem actus praesenti temporis momento fientis subjicere non ita absurdum videtur*). Sed quae anus tam est delira, quae, cum de rebus praeteritis aut futuris loquatur, de praesentia loqui sibi videatur? — Deinde, si dicitur *ἔξοιδ' ἀχούων* (Soph. OT. 105 Schneidewin) i. e. *memini id ad aures meas accidere* aut simile quid, num censes personam loquentem, cum dicat *ἔξοιδα*, in praesentia absoluta versari, tum repente, cum dicat *ἀχούων* in tempus praeteritum sese transferre? Nescio, utrum totius doctrinae perversitas, an haec, quae ex ea consequitur, animi humani volubilitas atque levitas magis sit miranda. Conf. *dextrae se parvus Iülus Implicuit sequiturque patrem non passibus aequis* (Virg. Aen. II, 123 sq.). — Denique si persona loquens actiones praeteritas aut futuras ut in praesentiam incidentes intueri posset, liceret ei (hoc concedo) res praeteritas et futuras ejusmodi tempore significare, quo actus nunc praesenti temporis momento fiens significaretur: sed eodem jure liceret (hoc grammatici ex illa propositione consequi non viderunt) actiones praeteritas et fu-

*) Eodem jure prophetae cuidam, interitum Iudaeorum praedicanti, dicere licuit, nescio quo loco: *ἔπεσεν, ἔπεσεν Ἱεροσόλυμα.*

turas praesenti significatas cum ejusmodi adverbiis conjungere, quibus hoc ipsum exprimeretur actum in praesentiam incidere: ita ut exempli causa Livius dicere potuisset *Hannibal nunc praesenti temporis momento in Etruriam ducit*, si re vera ducendi actum ut in praesentiam incidentem intuitus esset. Cujus similia cum plane absurda sint, sequitur personam loquentem res praeteritas aut futuras praesenti, quod dicitur, significatas non ut praesentes, sed semper ut praeteritas et futuras intueri, ideoque praesenti ejusmodi in sententiis notionem inesse actus non praesentis, sed praeteriti aut futuri. — Alia argumenta, quibus grammaticorum de praesenti sententiam falsissimam esse cognoscitur, hoc loco omissa sunt.

§. 39. Videmus igitur praesens, quod nominatur, etiam de rebus praeteritis et futuris dici posse. Quod idem actiones praeterito temporis momento praeteritas significasse videtur, velut, si modos omittimus, in hoc loco Liviano: *Dum in Asia bellum geritur (geführt worden war), ne in Aetolis quidem res quietae fuerant* (Liv. XXXVIII in.), idemque consuetudinem praesentem i. e. actionem momentis partim praeteritis partim futuris fientem significat saepissime. Quae cum ita sint, cumque haec praesentis exempla in unam summam comprehendi non possint nisi ita, ut praesenti universe actionem vel affectionem quolibet tempore fientem significari dicamus: sequitur ejus naturam revera hanc fuisse, quam nos diximus (quodquidem cum praesentis forma indefinita convenit optime).

§. 40. Perfectum graecum et latinum. Perfectum principio, ut grammatici contendunt, actionem vel affectionem eo tempore d. q. s. e. perfectam significasse non potest primum, quod permultis perfectis (I. et II.) actum usque in hoc ipsum tempus d. q. s. e. pertinentem significari videmus, deinde quod in perfecto latino plerumque aoristi significationem inesse notum est. Nec quisquam non videt perfecti tam graeci quam latini notionem principalem in usu posteriori, ut in usu antiquissimo hanc potius fuisse, ut actum vel affectum significaret tempore d. q. s. e. praeteritum. Actus enim tempore d. q. s. e. praeteritus aut esse potest (1) hoc tempore perfectus, qui dicitur termino technico, si status, qui

actum sequitur, usque in id tempus d. q. s. e. pertinet; aut (2) simpliciter praeteritus, si totus jacet ante tempus d. q. s. e. ita, ut actum *perfectum* quoque ut *simpliciter praeteritum* intueri liceat (conf. *ἀπέθανε καὶ ἀνεβίω*, ubi, quod *τὸ ἀναβιώσκομαι* simul *perfectum* est, etiam perfecto *ἀναβεβίωκεν* uti licet); aut (3) ex parte praeteritus ita, ut usque in hoc ipsum tempus d. q. s. e. pertineat *). Itaque quod perfecto graeco plerumque actio tempore d. q. s. e. perfecta, haud rarissime actus tempore d. q. s. e. ex parte tantum praeteritus, perfecto latino actus vel perfectus vel simpliciter praeteritus significabatur, omnia haec ad notionem perfecti principalem a me propositam optime convenire videntur. Ceterum moneo perfecto non semper actum praesentia praeteritum, sed universe actum eo tempore d. q. s. e. praeteritum significari, id quod de modis perfecti inter omnes constat et in indicativum quoque cadere facile apparet. Conf. Hom. Od. VIII, 448, ubi perfectum *δέδαε* pro plusquamperfecto usurpatum est. Liv. XXI, 43. Cic. in Verr. II, 23, 61. III, 62, 145 et 95 in. Soph. Trach. 83. Phil. 75. OT 1166. Eur. Iph. Taur. 992. Or. 940. El. 960. Rhes. 482. Her. IX, 78. Dem. *π. συμμ.* p. 178, 17, ubi indicativus perfecti pro fut. III usurpatus est (conf. Matthiae in Eur. Or. 929. Med. 1053). Indicativum perfecti historici latini (i. e. certam perfecti latini partem, conf. supr. §. 22 fin.), cuius notio antiquissima haec erat, ut actum praesentia praeteritum

*) Hoc enim negari non potest, quamquam a viris doctis adnotatum non est, Graecos et Latinos actum praesentia jam aliquamdiu durantem non semper ut praesentem, sed saepissime ut praeteritum aut futurum intuitos esse: ita ut rectissime contenderim actum praeteritum eum quoque nominare licere, qui ex parte tantum praeteritus esset. Conf. *Τοῦνεκα γὰρ καὶ πόντον ἐπέπλως, ὄφρα πύθηαι, Πατρὸς ὅπου κύθε γαῖα* (Hom. Od. III, 15 sq.). *Μητέρι μοι μνηστῆρες ἐπέχραον οὐκ ἐθελούσῃ* (id. ib. II, 50). *Quod ex Agricola amavimus, manet mansurumque est in animis hominum* (Tac. Agr. 46). *Ah miser, Quanta laborabas Charybdi Digne puer meliore flamma* (Hor. Od. I, 27, 18 sqq.). Conf. *Τῇσδε φάραγγος σκοπέλοις ἐν ἄκροις Φρουρὰν ἄζηλον ὀχήσω* (Aesch. Prom. 145 sq.), quod dicitur a Prometheo jam vincto. *Ti. Gracchus tam diu laudabitur, dum memoria rerum Romanarum manebit* (Cic. de off. II, 12, 43). Adde Soph. OT 1077. OC 1289. Eur. Med. 263.

Universe significabatur in usu posteriori actio vel affectio

	momento praesenti.	momentis partim praeteritis partim futuris	momento praeterito	momentis praeteritis	momento futuro	momentis futuris
fiens	**ap. Gr.** *Indicativo praes.* si eo tempore d. q. s. e. jam durat, *Modis praes.* si eo tempore d. q. s. e. incipit, *Modis aor.* **ap. Lat.** *Indicativo pracs. Modis praes.*					
praeterita*)	**ap. Gr** *Ind. perf. praes. Mod perf.* si ante praesentiam jam durans cogitatur, *Ind. impf. Mod. praes.* si ante praesentiam incipiens cogitatur, *Ind. aor. Mod. aor.* **ap. Lat.** *Ind. praes. Mod. perf. praes.* si ante praesentiam jam durans cogitatur, *Indicativo imperf.* si ante praesentiam incipiens cogitatur, *Indicativo perf.*	**ap. Gr.** *Indicativo perf. praes. Modis perf.* si ante tempus d. q. s. e. jam durans cogitatur, *Modis praes.* si ante tempus d. q. s. e. incipiens cogitatur, *Modis aor.* **ap. Lat.** *Indicativo perf. praes. Modis perf. praes.*	**ap. Gr.** *Indicativo plsq. perf. praes. Modis perf.* si ante tempus d. q. s. e. jam durans cogitatur, *Indicativo impf. Modis praes.* si ante tempus d. q. s. e. incipiens cogitatur, *Indicativo aor. Modis aor.* **ap. Lat.** *Indicativo plsq. praes. Modis perf. praes.* si ante tempus d. q. s. e. jam durans cogitatur, *Indicativo impf.* si ante tempus d. q. s. e. incipiens cogitatur, *Indicativo perf. historici.*	**ap. Gr.** *Indicativo fut. III. perf. praes. Modis perf.* si ante tempus d. q. s. e. jam durans cogitatur, *Modis praes.* si ante tempus d. q. s. e. incipiens cogitatur, *Modis aor.* **ap. Lat.** *Indicativo fut. III. perf. praes. Modis perf. praes.*	
futura**)	**ap. Gr.** *Indicativo fut. praes. Modis fut.* si post tempus d. q. s. e. jam durans cogitatur, *Modis praes.* si post tempus d. q. s. e. incipiens cogitatur, *Modis aor.* — **ap. Lat.** *Indicativo fut. praes. Modis fut. praes.*					

*) Aut simpliciter praeterita, aut perfecta, aut ex parte praeterita. **) Aut tota aut ex parte futura.

significaret, usu posteriori non nisi ad actiones incipientes describendas usurpatum esse supr. §. 34 iam dictum est.

§. 41. Futurum graecum et latinum. Futuro quoque eadem in usu posteriori, quam in usu antiquissimo, significatio principalis propria erat, quum, si omnia et indicativi et modorum exempla in unam summam comprehendimus, universe futurum actionem vel affectionem tempore quolibet d. q. s. e. futuram significasse videatur, etsi indicativo, ut videbimus, non nisi actus vel affectus praesentia futurus significari solitus erat (conf. supr. §. 27 fin.).

§. 42. Denique omnia, quae dicta sunt, summatim proponere placet ita, ut appareat, quibus temporibus singulas 14 illarum actus vel affectus ad tempus relationes exprimere usui posteriori licuerit. Vide tabulam in pagina proxima propositam.

II. De notionibus temporum vulgaribus.

§. 43. Relationes prima et secunda, quo modo usui vulgari exprimendae fuerint, facile videre licet. Poterat enim, ut hoc utar exemplo, actus momento praesenti incipiens (conf. tabulam) non nisi unius temporis indicativo uniusque temporis modis significari, quibus ea de causa ad actum ejusmodi significandum semper utendum erat: quod idem cadit in actum momento praesenti jam durantem, in actum denique momentis partim praeteritis partim futuris incipientem aut jam durantem. Itaque in usu vulgari significari debebat indicativo praesentis tam graeci quam latini et modis praesentis latini (1) actus momento praesenti d. q. s. e. fiens, (2) actus momentis partim praeteritis partim futuris fiens; modis praesentis graeci (1) actus momento praesenti jam durans, (2) actus momentis partim praeteritis partim futuris jam durans; modis aoristi graeci (1) actus momento praesenti incipiens, (2) actus momentis partim praeteritis partim futuris incipiens.

§. 44. Quomodo relationes 3.—8. usui vulgari Graecorum exprimendae fuerint. Ex numero eorum temporum, quibus sex has actus vel affectus ad tempus rela-

tiones exprimere licebat, indicativus praesentis et praeterea ex eorum numero, quibus relationes 5.—8. exprimere licebat, indicativus perfecti eximendus est, quoniam illo relatio tertia haud saepissime et reliquae 5 illarum relationum nusquam, ut videtur, expressae inveniuntur, itemque indicativus perfecti in relationibus 5.—8. significandis usu vulgari repudiabatur. Cujus rei causa illud usus vulgaris studium erat *ἀοριστίας* evitandae et dictionis subtilioris magisque definitae efficiendae (conf. supr. §. 31). Restant igitur (1) ad actum ante praesentiam jam durantem significandum indicativus perfecti et imperfecti, modi perfecti et praesentis; (2) ad actum ante praesentiam incipientem significandum indicativus perfecti et aoristi, modi perfecti et aoristi; (3) ad actum ante momenta partim praeterita partim futura d. q. s. e. jam durantem significandum indicativus perfecti, modi perfecti et praesentis; (4) ad actum ante momenta partim praeterita partim futura d. q. s. e. incipientem significandum indicativus perfecti, modi perfecti et aoristi; (5) ad actum ante tempus praeteritum d. q. s. e. jam durantem significandum indicativus plusquamperfecti et imperfecti, modi perfecti et praesentis; (6) ad actum ante tempus praeteritum d. q. s. e. incipientem significandum indicativus plusquamperfecti et aoristi, modi perfecti et aoristi; (7) ad actum ante tempus futurum d. q. s. e. jam durantem significandum indicativus futuri III, modi perfecti et praesentis; (8) ad actum ante tempus futurum d. q. s. e. incipientem significandum indicativus futuri HI, modi perfecti et aoristi.

Actus autem ante tempus aliquod fiens hoc tempore aut perfectus aut simpliciter praeteritus aut ex parte tantum praeteritus esse potest. Plerumque igitur Graeci, quod non mirum videbitur, actum tempore aliquo ex parte praeteritum non ut praeteritum, sed ut hoc tempore jam aliquamdiu durantem intuebantur: velut ad actionem praesenti temporis momento ex parte praeteritam significandam perfecto vel imperfecto vel aoristo rarius (conf. supr. pag. 39 not.), plerumque praesentis indicativo utebantur, quo actio praesentia jam durans exprimeretur. Attamen exempla haud paucissima usu posteriori conservata sunt, quibus actio momento praesenti ex parte praeterita

indicativo perfecti vel imperfecti vel aoristi, modis perfecti significata videtur, actio momento praeterito ex parte praeterita indicativo plusquamperfecti, modis perfecti, actio momento futuro ex parte praeterita indicativo futuri III, modis perfecti. Sed si rariora haec exempla omittimus, tempora nostra, quibus apud Graecos actus tempore aliquo praeteritus significabatur, non nisi ad actiones aut perfectas aut simpliciter praeteritas significandas usu vulgari retenta sunt; ita tamen, ut alteras harum actionum ab alteris severissime discerneret, alteris earum alteris temporum nostrorum significatis: velut actionem ante momentum praesens incipientem et indicativo perfecti et indicativo aoristi exprimere licebat, sed usus vulgaris aut indicativo perfecti aut indicativo aoristi exprimere solebat, ut momento praesenti aut simul perfecta aut simpliciter praeterita erat. Atque eodem modo usu vulgari significabatur (1) actus ante praesentiam jam durans aut indicativo perfecti, modis perfecti aut indicativo imperfecti, modis praesentis, ut praesentia aut perfectus aut simpliciter praeteritus erat (conf. supra 1), (2) actus ante praesentiam incipiens aut indicativo perfecti, modis perfecti aut indicativo aoristi, modis aoristi, ut praesentia aut perfectus aut simpliciter praeteritus erat; (3) actus ante momenta partim praeterita partim futura jam durans aut indicativo perfecti, modis perfecti aut indicativo —*), modis praesentis; (4) actus ante momenta partim praeterita partim futura incipiens aut indicativo perfecti, modis perfecti aut indicativo —*), modis aoristi; (5) actus ante tempus praeteritum jam durans aut indicativo plusquamperfecti, modis perfecti aut indicativo imperfecti, modis praesentis, (6) actus ante tempus praeteritum incipiens aut indicativo plusquamperfecti, modis perfecti aut indicativo aoristi, modis aoristi; (7) actus ante tempus futurum jam durans aut indicativo futuri III, modis perfecti aut indicativo —*), modis praesentis, (8) actus ante tempus futurum incipiens aut indicativo futuri III, modis perfecti aut indicativo —*), modis aoristi, ut tempore d. q. s. e. aut perfectus aut simpliciter praeteritus erat.

*) Ejusmodi actus Graeci conjunctivo significare solebant.

Videmus, quo modo perfectum graecum in usu vulgari ad vim actus vel affectus perfecti defluxerit.

Significabatur igitur in usu vulgari indicativo praesentis graeci (conf. supr. §. 43 fin.) (3) actus momento praesenti praeteritus (rarius); modis praesentis graeci (3) actus momento praesenti simpliciter praeteritus, si ante praesentiam iam durans cogitatur (conf. pagina 43. loc. 1), (4) actus momentis partim praeteritis partim futuris d. q. s. e. simpliciter praeteritus, si ante haec momenta iam durans cogitatur (ibid. loc. 3), (5) actus tempore praeterito d. q. s. e. simpliciter praeteritus, si ante hoc tempus iam durans cogitatur (ibid. loc. 5), (6) actus tempore futuro d. q. s. e. simpliciter praeteritus, si ante hoc tempus iam durans cogitatur (ibid. loc. 7); modis aoristi graeci (3) actus momento praesenti simpliciter praeteritus, si ante praesentiam incipiens cogitatur (ibid. loc. 2), (4) actus momentis partim praeteritis partim futuris d. q. s. e. simpliciter praeteritus, si ante haec momenta incipiens cogitatur (ibid. loc. 4), (5) actus tempore praeterito d. q. s. e. simpliciter praeteritus, si ante hoc tempus incipiens cogitatur (ibid. loc. 6), (6) actus tempore futuro d. q. s. e. simpliciter praeteritus, si ante hoc tempus incipiens cogitatur (ibid. loc. 8); indicativo perfecti graeci (1) actus momento praesenti ex parte praeteritus (rarius), (2) actus momento praesenti perfectus i. e. ante praesentiam iam durans vel incipiens, simulque praesentia perfectus (conf. ibid. loc. 1 et 2), (3) actus momentis partim praeteritis partim futuris d. q. s. e. perfectus (ibid. loc. 3 et 4); modis perfecti graeci (1) actus momento praesenti ex parte praeteritus (rarius), (2) actus momento praeterito ex parte praeteritus (rarius), (3) actus momento futuro ex parte praeteritus (rarius), (4) actus momento praesenti perfectus (conf. ibid. loc. 1 et 2), (5) actus momentis partim praeteritis partim futuris d. q. s. e. perfectus (ibid. loc. 3 et 4), (6) actus tempore praeterito d. q. s. e. perfectus (ibid. loc. 5 et 6), (7) actus tempore futuro d. q. s. e. perfectus (ibid. loc 7 et 8); indicativo plusquamperfecti graeci (1) actus momento praeterito ex parte praeteritus (rarius), (2) actus tempore praeterito d q. s. e. perfectus (ibid. loc. 5 et 6); indicativo

futuri III graeci (1) actus momento futuro ex parte praeteritus (rarius), (2) actus tempore futuro d. q. s. e. perfectus (ibid. loc. 7 et 8); indicativo imperfecti graeci (1) actus momento praesenti ex parte praereritus (rarius), si ante praesentiam jam durans cogitatur, (2) actus momento praesenti simpliciter praeteritus, si ante praesentiam jam durans cogitatur (conf. ibid. loc. 1), (3) actus tempore praeterito d. q. s. e. simpliciter praeteritus, si ante hoc tempus jam durans cogitatur (ibid. loc. 5); indicativo aoristi graeci (1) actus momento praesenti ex parte praeteritus (rarius), si ante praesentiam incipiens cogitatur, (2) actus momento praesenti simpliciter praeteritus, si ante praesentiam incipiens cogitatur (ibid. loc. 2), (3) actus tempore praeterito d. q. s. e. simpliciter praeteritus, si ante hoc tempus incipiens cogitatur (ibid. loc. 6).

§. 45. Quomodo relationes 3.—8. apud Latinos exprimi solitae sint. Apud Latinos eodem modo, ut apud Graecos, iisdemque de causis usu vulgari praesens non nisi ad relationem quartam significandam retinebatur, perfectum indicativi praetereaque imperfectum in relationibus 7.–12. exprimendis repudiabantur. Restant igitur (1) ad actum ante momentum praesens jam durantem significandum indicativus imperfecti, modi perfecti et praesentis, (2) ad actum ante momentum praesens incipientem significandum indicativus perfecti historici, modi perfecti et praesentis, (3) ad actum momentis partim praeteritis partim futuris d. q. s. e. praeteritum significandum indicativus perfecti, modi perfecti et praesentis, (4) ad actum tempore praeterito d. q. s. e. praeteritum significandum indicativus plusquamperfecti, modi perfecti et praesentis, (5) ad actum tempore futuro d. q. s. e. praeteritum significandum indicativus futuri III, modi perfecti et praesentis.

Videmus igitur quamque relationum nostrarum unius temporis indicativo, sed duorum temporum modis significari solitam fuisse, modis perfecti et praesentis. Quare Latini, quum viderent actum modis significatum aut actioni primariae in idem tempus incidenti subjunctum esse*) aut actioni non in idem

*) Conf. *Curio ad focum sedenti* (relatio 5) *magnum auri pondus Samnites cum attulissent* (relatio 5), *repudiati ab eo sunt* (relatio 3).

tempus incidenti subjunctum*), ita modos illos distinguerunt, ut aut modis praesentis aut modis perfecti uti solerent, ut actus aut actioni primariae in idem tempus incidenti subjunctus aut non subjunctus erat. Nec quisquam est, quin videat, cur hoc neque alio modo notiones temporum illorum circumscriptae sint. Sensu enim modorum praesentis latissimo (poterant, ut vidimus, omnes 14 actus vel affectus ad tempus relationes significare) id postulabatur, ut non nisi ad ejusmodi actiones exprimendas usurparentur, quarum tempus jam satis tempore actionis primariae definitum esset, itaque usus vulgaris, quum formas idem significantes discernere soleret, illas hoc ipso modo discernere debuit. Illud vero modorum perfecti et praesentis discrimen semper fere servatum est, ut nonnulla participia perfecti omittamus, quae, cum actum momento praesenti praeteritum simulque actioni primariae in idem tempus cadenti subjunctum significent**), regulae illi usus vulgaris arbitrariae, non tamen naturae perfecti principali repugnant (conf. supr. §. 32 comprehensionem nonam). Actus vero praeteritus, alii actioni in idem tempus cadenti non subjunctus, modis perfecti significari solitus, modis praesentis significabatur rarissime, ut quum Latini verbum *memini* cum infinitivo praesentis conjungebant (conf. Zumpt Lat. Gr. §. 589), aut quum Propertius cecinit *Inter quos Helene nudis capere arma papillis Fertur nec fratres erubuisse deos* (III, 12, coll. Hor. Od. III, 20, 13).

Significabatur igitur in usu vulgari indicativo praesentis latini (3) actus momento praesenti praeteritus (non rarissime); modis praesentis latini (3) actus momento praesenti praeteritus, alii actioni in idem tempus incidenti non subjunctus (raro), (4) actus momento praesenti praeteritus, actioni primariae in idem tempus cadenti subjunctus (conf. §. 45 loc. 1 et 2), (5) actus momentis partim praeteritis partim futuris d. q. s. e. praeteritus, actioni primariae in idem tempus cadenti subjunctus (ibid.

*) Conf. *Dionysius tyrannus, Syracusis expulsus* (relatio 5), *Corinthi pueros docebat* (relatio 3).

**) Conf. *Labienus — veritus, ne —, litteras Caesari remittit* (Caes. B. G. V, 47).

loc. 3), (6) actus tempore praeterito d. q. s. e. praeteritus, actioni primariae in idem tempus cadenti subjunctus (ibid. loc. 4), (7) actus tempore futuro d. q. s. e. praeteritus, actioni primariae in idem tempus cadenti subjunctus (ibid. loc. 5); indicativo imperfecti latini actus ante momentum praesens jam durans (ibid. loc. 1); indicativo perfecti latini (1) actus ante momentum praesens incipiens (ibid. loc. 2), (2) actus momentis partim praeteritis partim futuris d. q. s. e. praeteritus (ibid. loc. 3); modis perfecti latini (1) actus momento praesenti praeteritus, actioni primariae in idem tempus cadenti subjunctus (rarius), (2) actus momento praesenti praeteritus, alii actioni in idem tempus incidenti non subjunctus, (3) actus momentis partim praeteritis partim futuris d. q. s. e. praeteritus, alii actioni in idem tempus incidenti non subjunctus, (4) actus tempore praeterito d. q. s. e. praeteritus, alii actioni in idem tempus incidenti non subjunctus, (5) actus tempore futuro d. q. s. e. praeteritus, alii actioni in idem tempus incidenti non subjunctus; indicativo plusquamperfecti latini actus tempore praeterito d. q. s. e. praeteritus (ibid. loc. 4); indicativo futuri III latini actus tempore futuro d. q. s. e. praeteritus (ibid. loc. 5).

§. 46. Quomodo relationes 9.—14. apud Graecos et Latinos exprimi solitae sint. Indicativus futuri usu posteriori ad nimiam ἀοριστίαν evitandam non nisi ad primam harum relationum significandam adhibebatur, indicativo praesentis ne haec quidem exprimi solebat. Reliquae harum relationum indicativis periphrasticis significatae sunt: actio momentis partim praeteritis partim futuris d. q. s. e. futura indicativo *μέλλω* c. inf., indicativo *sum* c. part. fut.*); actio tempore praeterito d. q. s. e. futura indicativo *ἤμελλον* (aut *ἐμέλλησα**) c. inf., indicativo *eram* (aut *fui***) c. part. fut.; ac-

*) Conf. *Saepe improbe facturus sum, quum me Deus ad bonam frugem revocat* i. e. saepius et cogitabam et etiam in posterum cogitabo de culpa paullo post committenda cum....

**) Ut aut tempore praeterito d. q. s. e. aliquamdiu jam eram .... urus aut eo ipso tempore .... urus esse coepi, conf. supr. §. 34.

Exprimi igitur solita erat in usu posteriori actio vel affectio

	momento praesenti	momentis partim praeteritis partim futuris	momento praeterito	momentis praeteritis	momento futuro	momentis futuris
fiens	**ap. Gr.** *Indicativo praes.* si tempore d. q. s. e. jam durans cogitatur, *Modis praes.* si tempore d. q. s. e. incipiens cogitatur, *Modis aor.* **ap. Lat.** *Indicativo praes. Modis praes.*					
praeterita	**ap. Gr.** (*1*) praesentia perfecta: *Ind. perf. Mod. perf.* (*2*) praesentia simpliciter praeterita: *Ind. praes.* (rarius). si ante praesentiam jam durans cogitatur, *Ind. impf. Mod. praes.* si ante praesentiam incipiens cogitatur, *Ind. aor. Mod. aor.* (*3*) praesentia ex parte praeterita: *Ind. perf. impf. aor. Mod. perf.* (rarius, conf. §. 44 fin.). **ap. Lat.** *Ind. praes.* (rarius). si ante praesentiam jam durans cog. *Ind. impf.* si ante praesentiam incipiens cog. *Ind. perf.* — actioni primariae in id. t. cadenti subjuncta *Mod. praes. perf* (rarius §. 45 fin.). alii actioni in id. tempus incidenti non subjuncta *Mod. perf. praes.* (rarius, §. 45 fin.).	**ap. Gr.** (*1*) praesentia perfecta: *Indicativo perf. Modis perf.* (*2*) praesentia simpliciter praeterita: si ante tempus d. q. s. e. jam durans cogitatur, *Indicativo .... Modis praes.* si ante tempus d. q. s. e. incipiens cogitatur, *Indicativo .... Modis aor.* **ap. Lat.** *Indicativo perf.* — actioni primariae in idem tempus incidenti subjuncta *Modis praes.* alii actioni in idem tempus incidenti non subjuncta *Modis perf.*	**ap. Gr.** (*1*) tempore d. q. s. e. perfecta: *Indicativo plsq. Mod. perf.* (*2*) tempore d. q. s. e. simpliciter praeterita: si ante tempus d. q. s. e. jam durans cogitatur, *Indicativo impf. Modis praes.* si ante tempus d. q. s. e. incipiens cogitatur, *Indicativo aor. Modis aor.* (*3*) momento praeterito d. q. s. e. ex parte tantum praeterita *Indicativo plsq. Modis perf.* (rarius, conf. §. 44 fin.). **ap. Lat.** *Indicativo plsq.* — actioni primariae in idem tempus incidenti subjuncta *Modis praes.* alii actioni in idem tempus cadenti non subjuncta *Modis perf.*	**ap. Gr.** (*1*) tempore d. q. s. e. perfecta: *Indicativo fut. III. Modis perf.* (*2*) tempore d. q. s. e. simpliciter praeterita: si ante tempus d. q. s. e. jam durans cogitatur, *Indicativo .... Modis praes.* si ante tempus d. q. s. e. incipiens cogitatur, *Indicativo .... Modis aor.* (*3*) momento futuro d. q. s. e. ex parte tantum praeterita *Indicativo fut. III. Modis perf.* (rarius, conf. §. 44 fin.). **ap. Lat.** *Indicativo fut. III.* — actioni primariae in idem tempus incidenti subjuncta *Modis praes.* alii actioni in idem tempus incidenti non subjuncta *Modis perf.*	
futura	**ap. Gr.** *Ind. fut. praes.* (rarius). — (*1*) actioni prim. in id. t. cadenti subjuncta: si post tempus d. q. s. e. jam durans cog. *Modis praes.* sin vero post tempus d. q. s. e. incipiens cog. *Modis aor.* (*2*) alii actioni in id. t. cadenti non subjuncta: *Modis fut. praes.* (in sententiis optativis, §. 46). **ap. Lat.** *Ind. fut. praes.* (rarius). — actioni prim. in id. t. cadenti subjuncta *Modis praes.* alii actioni in id. t. cadenti non subjuncta *Modis fut. praes.* (in sententiis optativis, §. 46).				

tio tempore futuro d. q. s. e. futura indicativo *μελλήσω* c. inf., indicativo *ero* c. part. fut.

Deide modos futuri et praesentis et aoristi, futuri et praesentis Graeci et Latini eodem discrimine separare solebant, quo Latini modos perfecti et praesentis, ita ut modis praesentis graeci (7) act. significaretur post tempus d. q. s. e. jam durans, actioni prim. in id. t. cadenti subj.; modis aoristi graei (7) act. post tempus d. q. s. e. incipiens, actioni prim. in id. t. cadenti subj.; modis praesentis latini (8) act. tempore d. q. s. e. futurus, actioni prim. in id. t. cad. subj., modis futuri tam graeci quam latini act. tempore d. q. s. e. futurus, alii actioni in id. t. cadenti non subjunctus. Hujus discriminis plane arbitrarii exceptio i. e. naturae modorum nostrorum principalis recordatio est, quod eae sententiae, in quibus voluntas inerat, modis praesentis vel aoristi significabantur, etiam si ad aliam actionem in id. t. cadentem non erant adjuncti. Quamquam hic etiam futuri infinitivus admittitur, conf. Matth. Gr. Gr. §. 506 fin.

§. 47. Sicut supra omnia usus posterioris exempla et rariora et frequentiora et potentialia in uno conspectu collocavimus: sic vulgares quoque temporum notiones summatim proponere placet.

Incidents of Lavater

SENTENTIAE.

1. *Praesenti, quod dicitur, nuda actio significatur ab omni tempore abstracta.*

2. *In perfecto graeco principio vis actionis praeteritae, non perfectae inerat.*

3. *Vox Homerica πτολίεθρον non a substantivo πόλις, sed a verbo obsoleto, quod erat πολιέω, derivanda est et principio locum ad urbem condendam aptum significabat.*

4. *Non est causa, cur contra codd. scripturam in Soph. Oed. Col. 517 cum Schneidero ἄχων in ἄγων mutetur.*

5. *Apud Horatium Carm. I, 3, 15 sq. quum legitur Quo non arbiter Hadriae Major, tollere seu ponere vult freta; ante infinitivum tollere particula seu non est subaudienda.*

6. *Male incipiuntur philosophiae studia ab historia philosophiae.*

7. *Sermo graecus et latinus penitus perspici non potest sine linguae sanscriticae comparatione.*